






DE

LUCILI SATURARUM SCRIPTORIS

GENERE DICENDI

COMMENTATIONEM AB ORDINE PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM
PRAEMIO ORNATAM

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS KLEINSCHMIT,
DR. PHIL.

MARPURGI CATTORUM.
IN AEDIBUS N. G. ELWERTI.
MDCCCLXXXIII.

DE LUCILI SATURARUM SCRIPTORIS
GENERE DICENDI.

DE

LUCILI SATURARUM SCRIPTORIS

GENERE DICENDI

COMMENTATIONEM AB ORDINE PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM PRAEMIO ORNATAM

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS KLEINSCHMIT,
DR. PHIL.

MARPURGI CATTORUM.
IN AEDIBUS N. G. ELWERTI.
MDCCCLXXXIII.

DE LUCILI SATURARUM SCRIPTORIS GENERE DICENDI.

CONSPECTUS.

De Lucili saturis his quadraginta annis quamuis multa disputauerint atque exposuerint uiri docti[1]), tamen ea ita sunt comparata, ut ad argumentum solum accuratius cognoscendum spectent: in sermonis Luciliani proprietates eos non inquisiuisse sane iusta subest causa, cur miremur. Praeterlapso demum anno Ernestus Fischer in hac quam tetigi re studia collocauit et de uocibus Lucilianis accurate ac diligenter commentatus est[2]). Namque quae Gerlachius in editionis suae[3]) praefatione huc pertinentia suppeditauit, ea ita sunt obsoleta, ut eorum omnino nulla ratio sit habenda. Quae cum ita sint, optime nec sine fructu de Lucili uniuersa elocutione disseri posse comparet. Quod quam uere dictum sit, iam ante hos uiginti quinque annos docuit Ribbeckius[4]): »die inschriften fuehren zu der ueberzeugung, dass Ennius, Attius, Lucilius ebensoviele repraesentanten und urheber bestimmter epochen in der sprache und schriftentwicklung gewesen sind. die verfolgung dieses gesichtspunktes wird zu den interessantesten resultaten und anknuepfungspunkten fuer die gesammte geschichte der roemischen erudition fuehren.« Videmus igitur operae pretium esse tractare »magni Auruncae

1) E. Huebner grundris zu den vorlesungen ueber die roemische literaturgeschichte. Berol. 1878. §. 31.

2) E. Fischer de uocibus Lucilianis selecta capita. Halis 1881.

3) Fr. Dor. Gerlach ed. Lucili saturas. Turici 1846.

4) Neue jahrb. f. phil. 1857; 75. p. 311.

alumni« grammaticam, qui inuentor saturae romanae habeatur quemque ei, qui postea fuerunt, saepius imitati sint.

Nec tamen eram nescius, cum huius poetae genus dicendi quale fuisset, et cogitatione complecti et literis illustrare instituissem, me suscipere eam rem, quae magis tentari quam absolui posset. Satis enim difficile uni cuique uideri debet eius poetae de oratione atque elocutione accuratam interpretationem instituere, cuius tam lacerae sunt et abruptae reliquiae, ut permulta obscura, nonnulla sensu prorsus cassa esse uideantur. Accedit, quod grammatici, qui fragmenta seruauerunt, tot uerba afferunt, quot sufficiant ad id probandum, quod spectant, id est ad uocabulum aliquod singulare explicandum uel ad constructionem insolitam enucleandam. Ita fit, ut insolenter dicta aut minus usitata multo magis nobis in notitiam ueniant, quam ea, quae simplici atque inaffectatae orationi respondeant. Praeterea, quominus iuste de Lucili oratione iudicemus, ea re aliqua ex parte prohibemur, quod pauca quae aetatem tulerunt fragmenta ipsa tam corrupta lacunosa uitiosa uidentur, ut editores iusto saepius ad fallacem arbitrii fidem confugere sint coacti. Atque ea in re fortasse plus efficere potuissent, si longe plurima fragmenta a prudentiore Nonio grammatico, quippe quem saepius quam par est nugari constet, nobis essent seruata. Nec tamen haec laus ei defraudanda uidetur, quod et fontibus egregiis sit usus et diligentissimus fuerit in uerbis auctorum, prout inuenerat, referendis.

Haec fere cum sint, quae Lucili genus dicendi explicanti obstare uideantur, unum quemque Lucili amantem gaudere existimauerim, quod Lucianus Muellerus nuper Lucili saturas emendauerit eisque splendidissimam lucem attulerit. Atque iam hoc loco mihi monendum uidetur me per totam dissertationem ex Muelleri editione [1]) locos citaturum, cum Lachmannianae a Vahlenio [2]) in lucem missae longe praeferenda mihi uideatur.

---

1) C. Lucili saturarum reliquiae emendauit et adnotauit. L. Mueller. Lips. 1872.

2) C. Lucili saturarum (?) Carolus Lachmannus emendauit. Berol. 1876.

Ita cur statuendum esse putem, accuratius exponere non huius loci est. Aliorum uero scripta, quae in hac dissertatione componenda in meum usum conuerti, suo loco citabo.

His praemissis, ut ad ipsum propositum accedamus, totius rei diuisionem ita instituendam esse puto, ut primam dicam de formis Lucili, tum disputem de quaestionibus nonnullis ad syntaxin pertinentibus, postremo de tropis ac figuris, quae saepius in saturis eius occurrunt, exponam. Atque ut accurate cognosceretur, eis in rebus quid Lucili proprium ac peculiare esset, quid non, usquequaque comparationem Lucili cum poetis prioribus aequalibus posterioribus addere e re esse duxi. Ea uero quae propositurus sum ut argumentis satis firmis nitantur, ea tantum in disputationem uocabo, quae Lucili esse uiri docti consentiunt, ita ut eorum, quae Lucilio sint uindicanda necne dubium est, aut quae ei falso adscripta sunt, rationem non habeam.

Caput I.: de formis.

Materiam, quam praebet grammaticis quaestionibus Lucil., illustrandum qui in se suscipiet, eum non fugiet multa deprehendi in eius sermone antiquitatis uestigia; ad ea referenda etiam uidetur in formis et mensuris quaedam fluctuatio. Hac ab quaestione nequaquam secerni potest de orthographia disceptatio, quamquam neminem fugit, quantopere ea in re non solum libri manu scripti, uerum etiam lapidum inscriptiones fluctuent. Itaque primum agendum est

a) de orthographia.

Eius disputationis ut fundamentum satis firmum ponamus, priusquam in ipsas res orthographicas inquiramus, nobis exponendum est, quo potissimum subsidio subnixis Lucili rationes, quas in orthographia secutus sit, perspicere nobis liceat.

In uniuersum monendum est tales quaestiones orthographicas ex saeculi, quo scriptor uiuebat, consuetudine esse diiudicandas. Inde apparet eum codicem in genere orthographico plurimi aestimandum esse, qui ad scribendi rationem scriptoris aetati conuenientem proxime accedat[1]). Atque orthographiae priscae, quae Lucili temporibus adhibebatur, uestigia maxime perspicua nobis seruauit et egregiae antiquitatis integra specimina exhibet Nonii codex optimus: Lugdunensis prior. Saepenumero uero scriptura ab ipso poeta adhibita iam in eis exemplaribus obliterata erat, unde Nonius et reliqui grammatici Lucili uersus sumpserunt[2]), deinde inuersa est haud paucis locis a medii aeui librariis, quippe qui pro priscis formis, quae sunt ei et ai, eas quae ipsis magis notae erant i et ae, in textum multis locis reciperent. Nonnumquam tamen Lugdunensis testimonia ita sunt comparata, ut ipsis corruptelis id quod uerum est demonstrent nobisque facultatem praebeant a falsis uera secernendi. Denique apparet ex eis locis, qui correctura qualicunque careant, per analogiam quandam ea uerba, quorum pristina scriptura sit obliterata, genuina forma indui posse.

Haec praemisisse satis habemus, qua re ad ipsam orthographiam illustrandam transeamus.

Et primum quidem satis constat in Lucilianis uersibus permulta extare exempla literae s in finibus uerborum omissae, quae exeant in -is -us -os. Neque is usus ad solum Lucilium pertinet, sed plerisque antiquis poetis est communis: Ennium

1) Ritschelius in prol. Trin. p. 91.
2) L. Muell. ed. praef. p. 42. 43.

et Lucretium nominasse satis erit. Sed eam licentiam, quae etiam in monumentis pedestris sermonis inuenitur ibique certe ex linguae cotidiano usu orta putanda est [1]), poetas metri gratia adoptasse patet, eamque recentiores poetae, quippe quae minime esset legitima atque elegans, fugere coeperunt [2]). Atque post Lucretium literae s apocopen ex usu poetarum latinorum euanuisse uidemus praeter unum Catulli exemplum, quod extat 116,8: tu dabi' supplicium. Cicero enim in oratore cap. 48 § 161 ita de hac licentia iudicat, ut subrusticam eam nominet his uerbis usus »quin etiam quod iam subrusticum uidetur, olim autem politius, eorum uerborum, quorum eaedem erant postremae duae literae, quae sunt in optumus, postremam literam detrahebant, nisi uocalis insequebatur« [3]). Et Lucilio ea licentia tam usitata fuit, ut plerique scriptores eius rei mentionem facientes Lucili uersus laudent, uelut Quintilianus IX. 4. 38. Ex eis exemplis, quae Corssenius I. 291. 292. 293 collegit, apparet ueteres literam illam ne scripsisse quidem; itaque Lachmannus in commentario adiecta uocabulo apostropho literam omisit. Jam ut intellegatur, quam late apud Lucil. illius apocopes usus pateat, exempla libri primi uno in conspectu componam, neque enim eo me rem actam agere statim intelleges. Extant uero ib. I. 3. 6. 9. 10. 11. 12. 15. 23. 24. 28. 29. 32. 35. 42. 43. Quae exempla si tecum reputaueris, facile reperies eorum longe maximam partem ad quintum heroici uersus pedem pertinere, ita ut finem eius faciat syllaba truncata aut arsin eius pedis subsequatur. Itaque cum in libro primo uicies fere s abiecerit Lucil., duodecim exempla sunt reuocanda ad quintum pedem, duo ad primum, tria ad alterum, unum ad tertium, unum ad quartum. Similiter in altero libro s reciditur in quinto pede quater, in ceteris omnino non, in tertio libro hoc genus occurrit decies in quinto pede, bis in primo, semel in altero, semel in tertio. Haec quae

1) Schneider, gramm. lat. I. 351 et II. 142.

2) L. Mueller de re metrica poetarum latinorum Lips. 1861. pag. 344.

3) Corssen. ausspr. vocalism. und betonungder lat. spr. I. 292. ed. II. Lips. 1868.

per tres libros obseruauimus, non minus per reliquos ualere unus quisque statim intelleget, qui pariter atque nos modo fecimus in eos inquisiuerit. Neque causa, cur longe plurima exempla ad quintum pedem pertineant, uidetur esse in obscuro, namque cum integrum dactylum desideret, ei huius modi formae maxime conueniebant. Praeter quintum pedem alterum maximum numerum sibi uindicare ex eis, quae supra congessimus ac disposuimus, exemplis colligi licet. — Iterationem apocopes in eodem uersu poeta saepius admisit, ut nonnulla exempla afferam: I. 11. 29. III. 49. 65. IV. 1. 28. VII. 1. 31. Triplicem in eodem uersu apocopen bis tantum sibi concessit: IX. 28 intu' modo stet rectu' foris subtemini' panus. et XIV. 23 ipse ecu' non formonsu', gradarius, optimu' uector. Neque silentio praetermittendum est, quod Lucil. duobus locis — os Graecorum in nominatiuo declinationis secundae truncauit: XXX. 110 hic ut muscipulae tentae atque ut scorpio' cauda. inc. 62 Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

Duo extant loci XXIX. 5 et XXVI. 16, quibus comprobatur poetam in iambis ac trochaeis, ne nimis premerentur onere spondeorum, subduxisse s finalem. Nec deesse uidentur exempla, quibus Lucilium nonnumquam etiam literam m in exitu uerborum suppressisse compareat, ut VI. 31 in editione Muelleriana scriptum leges Mutiu' pro Mutium [1]), et XXVI. 16 publicanu' pro publicanum [2]). Neque huius loci uidetur esse accuratius de hac quaestione exponere, Muellerus recte statuerit necne, hoc tamen monuerim aliter de ea re iudicasse Rudolfum Bouterwekium [3]).

Veniamus nunc ad consonantium geminationem. Ea quaestio, utrum Lucil. consonantes geminarit necne, est sane una ex difficillimis atque huc usque lis uidetur esse sub iudice. Magnus

---

1) Mucium exhibent cdd.
2) etiam hic publicanum tradunt libri.
3) Quaestiones Lucilianae; commentatio prosodiaca metrica critica. Elberf. 1867. pag. 20.

enim ille Ritschelius de ea re haec dicit[1]: »quo pertinet adiectae in fine uocabulorum m literae constantia: quam sane non potuit iam ante Attium non suopte exemplo Ennius commendare, quem item ad stabiliendam grammaticam haud paulum contulisse alibi significaui, sed tamen ut communi usu reciperetur Attius demum effecisse uidetur. Cui consimile hoc est, quod, etsi consonantium geminationem iam Ennium praecepisse cum ratio arguit, tum testimonia euincunt, eandemque prorsus consentaneum est Attium quoque suasisse, tamen in eadem ut conicio uia perseuerans Lucilius demum contra uim inertiae tantum ualuit, ut non geminandi consuetudo plane aboleretur: in hanc enim partem illud interpretor, quod non ante annum 640 constans esse geminatio deprehenditur«. Statuit igitur uir doctissimus Lucil. usquequaque ita geminandis consonis operam dedisse, ut non geminandi consuetudinem suis de ea re placitis sustulisset. Aliter uero de hac quaestione certe dignissima, quae accuratius tractetur, iudicauit L. Mueller in edit. p. 252. Is enim, quantum uideo, rectissime monet in Lucili fragmentis tam multa exempla consonantium non geminatarum occurrere, ut id nullo modo librariorum culpae tribui possit. Quod quo melius intellegatur, eiusmodi omnia apud Lucil. exempla collegi atque hoc loco proponam: III. 33 praebet cod. longe optimus atque, ut Muellerus ait, auctoritate paene uenerabili praeditus Lugdunensis prior succusatoris, idem exhibet Bambergensis, idemque ceteri praeter unum Guelferbytanum, eius tamen lectio Lugdunensis auctoritate prorsus infringi mihi uidetur. Atque V. 36 omnes membranae geminationem omiserunt, Lugdunensis enim prior ac Guelferbytanus exhibent sarisas, Bambergensis sarasas. Similiter VII. 30 in cod. G pactologannis, in Bamb. pacto loganis, in L. I pactolo gannis scriptum inuenies. Satis enim liquet his in codicum lectionibus latere uerbum oggannio, et quamuis illi dissentiant in uerborum

1) Verba extant in commentario »de miliario Popilliano deque epigrammate Sorano«. pag. 32.

illorum duorum compositione, in hoc tamen conspirant, quod ne unus quidem liber illam g literam duplicauit. Pariter XI. 1 omnes membranae corupto tradunt pro corrupto, XI. 5 optimus liber L I agerem pro aggerem, nec minus XXVI. 81 agere pro aggere omnes libri, XV. 17 truleus pro trulleus, XXIX. 83 L I et G redere pro reddere, ita tamen, ut in hoc prius fuerit redire; XXIX. 21 Apolo omnes membranae, denique inc. 164 omnes libri exhibent colo pro collo. Atque profecto haec quae attuli exempla ita sunt comparata, ut, praesertim cum plerumque codices eis in lectionibus consentiant, ut, inquam, nullo modo librariorum culpae tribui possint. Iaque quae Rischelius de Lucili geminandi consuetudine proposuit, aliqua ex parte retractanda uidentur; statuendum enim nobis uidetur apud Lucil. geminationem prorsus fluctuare, ita tamen, ut certas literas saepius geminet quam simplici consona scribat. Certa uero regula ac terminis noster geminationem circumscripsit in praepositionibus adsimilandis in libri IX frgg. XV et XVI, ubi haec leguntur: »atque accurrere scribas dne an c, non est quod quaeras seiue labores-abbitere: multum hic refert d siet an b.« Igitur Lucili de hac re praecepta ea uidentur fuisse, ut sequenda hominum urbanorum iudicia censeret excepto ubi oriri posset ambiguum uelut in illo abbitere pro adbitere aut in fere pro ferre ex ferere orto [1]). Hinc iam satis dilucide uidemus Lucili geminandi rationem non ex certa quadam lege pendere, id quod cadit in eum scriptorem, qui saepius Lucilium imitatus est, dico Lucretium. Satis enim constat Lachmannum de terminatione -ela hanc statuisse legem: »l simplici scribi uerba, in quibus l literam longa syllaba praecedat, geminata, quibus breuis«. Quam regulam ueram esse etiam uidit Corssenius I. 226 sq.

Praeterea in nonnullis uocibus n tum pronuntiatum tum omissum uidetur esse, id quod in eas potissimum formas cadit, in quibus illam n litera s sequitur. Id comparet iam ex aduerbiis numeralibus, quae in — iens exeunt et in quibus n

---

1) Lucil. ed 252. Mueller.

postremo porsus euanuisse satis constat. Similiter statuendum uidetur de ueteribus formis in-osus cadentibus, quae n tenent, sicut legitur apud Caecilium Statium 268 grammonsis. Apud Lucilium haec reperio exempla: IV. 28 exhibet optimus liber L I formonsus, eandemque formam usurpatam inuenies XIV. 23. XXX. 1. 15. inc. 135. Neque minus in participiis praesentis actiui per -as scriptis nonnumquam n literam ante s suppressam esse librorum docent testimonia [1]), ita habes XXX. 32 insimilas pro insimilans et inc. 92 uoras pro uorans; atque unus locus occurrere uidetur, ubi in participio in -iens exeunte n ante s omissum est, extat enim XXX. 122 hoc missum facies pro faciens [2]). In Lucretii libris Lachmannum ubique illud n suppressisse satis constat, quamquam id num iure fecerit, certe dubitari potest. Neque silentio tegendum est Lucil. duobus locis n literam ante i. subtraxisse, nam II. 25 habes uerba »quod coicis istuc« et XXIX. 48 coicito pro conicito [3]). Alias usurpat Lucil. formam usitatiorem, ita habes XI. 10 »conicere in uersus [4])«.

Saepe apud Lucil. p quod euphonicum uocatur inter m et sequentes literas t uel s uel n insertum esse obseruare licet. Cuius rei quae sit causa, satis liquet, nam cum litera m et ipsa labialis sit, sonum assumit etiam propius accedentem ad labiales meras, unde facile fieri potuit, ut ex mala et uulgari pronuntiatione illud p etiam in scripturam irreperet. Apud nostrum haec prostant exempla: IV. 8 sumptum. XVII. 13 contempnit. XXX. 19 sumpti, L I tamen exhibere uideo sumti; inc. 73

---

1) Haud pauca exempla praebent Lucretii libri: I. 774 animas et II. 488 transmutas. Corssen. hac de re egit I. 252, qui Lucili exempla praetermittere non debuit.

2) Melius hoc loco participium quam futurum tempus sese habere unusquisque, qui rem accuratius secum reputauerit, mihi concedet, quamquam etiam futurum aliqua ex parte ferri posse profiteor.

3) coicito etsi ex coniectura datum est, tamen L I et G exhibent coici, ita ut in hac quoque forma n omissum uideas.

4) Plura eius usus exempla congessit Nonius 267 sq., alia affert Lachm. comm. Lucr. p. 136. Accurate de litera n ante i omissa exposuit Corssen. I. 250.

dampnum, inc. 125 pedetemptim. Caue tamen credas usquequaque cdd. illud p exhibere, namque IX. 62 scriptum inuenies amtruet et redamtruet [1]), XXVI. 75 sumtum, XXVII. 35 pedetemtim. Saepissime euphoniae causa p literam additam reperies apud poetas Lucilio antiquiores, ita habes apud Plautum dampno Trin. 584, corrumptor 240, corrumptum 114, contempnit 325. Longe rariora sunt eius generis exempla apud poetas Lucilio posteriores, uelut aput Lucretium, qui ut unum afferam exemplum, dicit hiemps V. 747 [2]).

Paucis dicendum est de insertione literae n, quae praecipue ante s sese insinuare solet. Namque cum Romani haud ignorarent in nonnullis terminationibus, quae sunt -ensimus -ensus -iens aliisque eiusmodi n consonam ante s excidisse, de qua re supra dictum est, non modo in his et pronuntiandis et scibendis receperunt n literam, sed etiam intulerunt in alia uerba, quae simili ratione formata uidebantur. Cuius generis unum exemplum apud nostrum occurrere uideo: XXVIII. 37 tradunt nonnulli cdd. thensauri, fortasse huc pertinet perminxi III. 55. Similiter dicit Ennius Trag. 107 ed. Vahlen Acherunsia [3]) templa. Multo plura eius modi exempla in Lucretii libris reperiuntur, uelut VI. 130 uensicula in eodemque libro Scaptensula.

Constat nonnumquam c consonam per ubertatem quandam uocabulis insertam esse, in quibus cur locum habeat, nequaquam intellegi potest. Hoc de orthographiae genere quid statuendum sit, bene cognoscere licet ex eis, quae Rischelius proll. Trin. p. 102 et Lachm. comm. Lucr. ad III 1044 de ea re proposuerunt. Apud nostrum duo eiusmodi exempla extant, quae tamen ea sunt, ut magis probabili sane coniecturae, quam

---

1) Quae formae ipsae etsi Merulae coniecturae debentur, tamen codicibus ita traduntur, ut nullus illud p exhibeat.

2) Corssen. I. 123, qui Lucili rationem habuit nullam.

3) Plura exempla congessit Schneiderus gr. lat. I. 458. Porro de ea re disseruerunt Lachm. comm. p. 280, Rischelius proll. Trin. 103, Corssen. I. 255, qui exempla nonnulla ex inscriptionibus potissimum petita attulit.

codicum testimoniis debeantur, dico enim locos II. 16 et XIV. 11. In illo Muell. ex eo, quod cdd. exhibent facto, coniecit farcto, in hoc rectius, quae est librorum scriptura, mutauit in sectius[1]). Utramque lectionem coniectam multo melius in sensum, quem res postulet, quadrare quam quae traditae sint scripturae, uix est quod moneam; mutatio ipsa uero cum leuissima sit, causa iusta subesse nequit, cur non lectiones propositas in textum recipiamus. In libris Plautinis saepe eiusmodi formae inueniuntur, ut unum exemplum afferam, Trin. 524 quincto. Neque haec scribendi ratio a Lucretii membranis abest, ita habes IV. 641 cocturnix, III. 1044 restincxit, V. 1195 adiuncxit. Ceterum de forma sectius conferendum est Varronis apud Gellium XVIII. 9. 4 iudicium.

Quod Lucili membranae non ita raro pro v consona praebent b, id non ad ipsius scriptoris orthographiam, sed ad librariorum uitium pertinere uidetur: ita exhibent omnes cdd. XXVII. 56 redivit pro redibit, pariterque tradit XXVI. 36 L I scuavie pro scuabie[2]). Maioris momenti mihi uidetur esse, quod nonnumquam in libris Lucilianis aut omnibus aut uno alteroue inueniuntur exempla, ubi initio uocabulorum litera h omissa est, uelut, ut ex pluribus id genus lectionibus unam citem, inc. 61 omnes membranae tradunt aruspex pro haruspex. Atque dolendum est, quod cum is usus ualde fluctuare coepisset, in membranis permulta uocabula sine h sunt scripta, quibus est tribuendum, id quod Muellerum saepius fecisse uideo. Persaepe etiam in mediis uocibus literam h excidisse obseruare licet, quo nonnumquam fit, ut contractio uocalium coeuntium existat, ita saepe habes apud nostrum uementer pro uehementer. Sed cum ea de re infra paullo plura prolaturus sim, hoc loco illud unum exemplum attulisse satis erit. Nonnullis uero in uocabulis literam h desiderari quod uides inde perspicuum fit, quod Lucili aetate Romani consonis nondum aspirasse uidentur. Occasione data nonnulla eiusmodi exempla proponere e re esse

1) Corssen I. 36.
2) Lachm. comm. p. 87 ea de re nonnulla disputat.

uidetur: III. 3 Regina pro Rhegina; recte enim in codice Vaticano omissus est spiritus, quoniam etiam in inscriptionibus, quae ad idem fere tempus pertinent, Regium illud oppidum audit. III. 9 in uerbo, quod est rhinoceros, omnes libri h literam omiserunt. XIIII. 14 tradunt cdd. pasceolus, expectamus phasceolus, cum descendat ex uerbo graco φάσκωλος. Similiter habes, quoniam oratio deflexit ad uoces ex lingua graeca in latinam translatas, saepius apud Lucili aequales Pilipus pro Philippus et Prunis pro Φρυνίς in inscriptione parietaria Pompeiana [1]). Atque ut ad ipsum Lucil. redeamus, aspiratio omissa est XXVII. 30 in uocabulo malta, porro habes XXIX. 30 Cremes pro Chremes [2]), denique XXIX. 85 exhibet L I scema pro schema; in uniuersum monendum est in hoc quoque genere orthographiae membranas insignem in modum inter se fluctuare [3]).

Iam, ut quaestionem de Lucili orthographia, quae ad consonantes pertinet, ad finem perducamus, uideamus, utrum scriptura per q an c usus sit, si quidem sequeretur u. Exempla, quippe quae omnia circumspexerim, sic disponenda sunt: scriptura per c his locis inuenitur: XIV. 23 ecus. [4]) XXVII. 12 exhibent omnes libri cocus, item omnes XXIX. 87 coci, XXX. 54 praebent L I et Gen. longincus, denique L I inc. 69 ecum. Uno tantum loco VI. 15 altera occurrit scriptura per qu, ibi enim legitur equum. Itaque cum scriptura per c literam saepissime occurrat eademque optimo libro L I praeter unum locum semper exhibeatur, facere non possumus quin statuamus hanc illi, quae est per qu, longe praeferendam esse. Eam regulam si proponimus, facimus cum Wagneri auctoritate [5])

---

1) corp. inscr. lat. IV. num. 2953.

2) Ita praebet liber G.

3) haec quae attuli exempla addenda sunt eis quae Corssen. I. 107 congessit. Hinc apparet eam aspirationis fluctuationem non omnino pertinere ad Lucili aetatem, quippe qua literae h usus certis regulis circumscriptus non fuerit, uerum etiam librariorum ignorantiae haud ita raro tribuendam esse.

4) Sic L I G equus.

5) orth. Verg. p. 452.

nec minus Ritschelii[1]), quippe qui optime ea uerba per c scribenda esse censeant[2]).

Satis notum est in prisca latinitate g literam expressam fuisse per C, posterioribus temporibus per G.[3]) Cuius priscae orthographiae nonnulla exempla prostant apud nostrum: VI. 7 ancarius pro angarius. XI. 27 stricosus[4]). XXVI. 64 masticias. XXVII. 28 maco pro mago siue mango; denique inc. 178 concerae pro congerae.

Nunc quoniam de consonis disputationem ad finem perduxisse nobis uidemur, in Lucili orthographiam, quae ad uocales spectat, diligenter nobis inquirendum est.

Primum quidem exponam de fluctuatione, quae intercedit inter uocalem e et diphthongum ae[5]). Atque pro diphthongo ae scribere e rustici esse docet Varro de l. l. VII. 96 uersum afferens ipsius, de quo agimus, Lucili, quo iste[6]) C. Caecilium Metellum Caprarium praetorem urbanum factum irridet ob falsam pronuntiationem et muneris proprii et nominis his uerbis usus: »Cecilius pretor ne rusticu' fiat«. Atque in frg., quod proxime praecedit, ipse Lucil. de huius scripturae fluctuatione, de qua sermo est, agere uidetur, neque tamen ita nobis seruatum est, ut qualia de ea re eius placita fuerint, accurate definire possimus. Hoc uero Lucili testimonio comprobari uidetur malam illam pronuntiationem iam inde a Scipionum temporibus peruulgari coeptam esse. Quo fit, ut eas formas, quae apud Lucil. similes inueniuntur, non uitia librariorum,

1) proll. p. 94.
2) Corssen. I. 73.
3) Corssen. I. 77.
4) Ita libri Gellii exhibent, G et L I strigosus, quam formam ex illa, quae est stricosus, corruptam esse liquet.
5) Iam in antiquissimo sermone uulgari in uocibus, quales sunt questores Pestano Cesula Victorie Diane Fortune e pro ae pronuntiatum esse docet Corssen. I. 325 et 689.
6) Muell. ed. IX. 10.

sed ab ipso poeta scriptas putemus necesse sit[1]). Nos iam Luciliana ex hoc genere exempla, quae inuenimus, enotemus: I. 34 caenam, quod praebet L I. XXIX. 45 caenaculum exhibent cdd. L I. B. Gen. contra cenaculum liber G. IV. 5 cenasti. IV. 31 cenabat. IX. 8 caeno. III. 33 tetri exhibet G. XXIX. 95 omnes libri tetri tradunt. XXX. 82 praebent tetri cdd. B. et Gen., reliqui taetri. V. 6 meror. XXIX. 19 mestum G. B. Gen., reliqui maestum. V. 22 cepe. VIII. 12 murenas. IX. 9 et IX. 47 cenum. IX. 77 ceno. X. 10 exhibet ne liber Parisinus, contra nae editio princeps. XX. 4 menarum. XXVI. 36 erumna. XXVI. 88 aerumnam. A et L I. XXVIII. 36 erumna. XXX. 8 B aerumna, G et L I erumna. XXVI. 40 pene. XXVI. 61 faenera[2]), contra XXX 125 inuenitur fenus. Denique inc. 85 omnes cdd. exhibent herebat.

Tum quod postea semper u legebatur, apud ueteres saepius o scriptum est, si quidem praecederet u uel v, aliae tamen literae si ante o locum haberent, iam inde a bello Punico altero ad finem perducto o in u transiisse comprobarunt Ritschelius[3]) et Theod. Mommsenus[4]). Atque Plauti temporibus, ubicunque *v* uel u praecederet, u in dicendo o factum uidetur esse, ut pauca exempla afferam: Trin. 593 saluos, 645 aeuos, mil. 374 auos, 1307 laeuom, 1081 uiuont, 145 conseruos aliisque locis inuenies triduom continuom quom relinquont. Ambrosianus quidem et Palatinus B usquequaque fere scripturas uo uel vo praebent. Apud Lucil. eadem scribendi ratio atque constantia minime seruata est, nonnulla tamen extant exempla: III. 17 Volturnus. XXVII. 50 quom pro quum[5]). XXIX. 100 fugitiuom, sed L I et G exhibent fugitiuum. Atque haec exemplorum

---

1) Similiter Varro, Ciceronis aequalis, qua ipse uiuebat aetate in Latio rusticos constanter edus pro haedus et Mesius pro Maesius pronuntiasse testatur l. l. V. 97 et VII. 96.

2) cdd. praebent faetera, quod cum sensu careat suo iure L. Muell. in faenera mutauit.

3) mus. rhen. IX. 10 sq. Prisc. lat. mon. epigr. p. 128.

4) mus. rhen. IX. 464 sq. corp. inscr. lat. I. p. 16 comment. ad n. 29.

5) Sine dubio latet quom in eo quod L 1 et G praebent: quo.

paucitas ea est, ut inde facile colligere possis ubique librariorum dolo et ignorantia illud o suppressum in eiusque loco literam u, quippe quae eis magis nota esset, positam esse. Quae proposui eo probabiliora uidentur, quod inde ab Augusti demum aetate priscam et pronuntiationem et scripturam uo et vo in uu et vu transiisse pro certo habendum est[1]). Merito igitur atque optimo iure L. Muell. illud o Lucilio reddidisse putandus est, velut his locis: I. 9 diuom. I. 29 et 30 uoltus. I. 42 uolgus. VI. 22 seruos. VII. 2 tuos. VII. 20 uolt. IX. 62. uolgus. XVII. 4 naeuom. XXII. 1 seruos. XXVI. 42 Volcaniam. XXVII. 5 uoster. Apud Lucretium, qui post Lucil. fuit, etsi non usquequaque illud u post u uel v per o scriptum inuenies, tamen eius scripturae satis multa extant exempla, cum quibus conueniunt inscriptiones, quae ad eandem aetatem pertinent[2]). Lucretii igitur nonnullas uoces afferamus: aeuom I. 549. 583. 592. II. 1094. 1171. IV. 1235. V. 61. 82. 172. 427. 1145. 1150. 1431. 1440. VI. 58. diuom I. 1. II. 646. uolgus I. 315. uolnus II. 639. Volturnus V. 745. uoltus III. 293. Sed plura enumerare exempla longum est et a proposito nostro alienum, id tamen ex his quae proposui intellegis eadem fere uocabula, quae apud Lucil. per u scripta uideas, apud Lucretium Lucilio posteriorem exhibere per o scripturam. Ea uero re fulciri quae supra contendi in Lucil. libris saepissime librariorum ignorantia illud o suppressum esse unus quisque mihi concedet.

Post Gracchana tempora oi et oe plerumque in u uersa esse in scribendo docet Corssen I. 709. Diphthongum oe ex oi ortam esse liquet, sicut ae ex ai. In sen. cons. de Bacchanalibus oi constanter scriptum est, quae scriptura a Plauti temporibus est aliena, uel ut accuratius rem exprimam, ab eius membranis. Post Gracchana tempora tales uoces per u scribi coeptae sunt, nec tamen u semper ex oe ortum est, haud raro etiam ex oi. Supersunt eius uetustioris consuetudinis uestigia

1) Corssen. I. 99.

2) Lachm. comm. Lucr. p. 172. 220. 398

apud Plautum multa, ita tamen, ut nullum exhibeat uestustiorem scripturam per oi. Apud Lucil. unum exemplum inueni: II. 13 Moetinus pro Mutinus; nonnulla extant apud Lucretium, uelut moenera I. 29 et poeniceus II. 830. Constat eam scribendi rationem seruatam esse in uoce moenia, Poeni, poena, id quod inde liquet, quod ab eisdem radicibus alia uocabula sunt deriuata, quae per u scribi soleant. Porro in sermone antiquo saepius legebatur o, ubi posteriore tempore u exhibitum inuenies. Cuius uetusti usus nonnulla occurunt exempla: uelut I. 29 morbos quod G praebet, XXX. 123 com pro cum. Quibus accedunt formae nonnullae ex uerbo, quod est uertere, deriuatae: IX. 75 aduorsus, XXIX. 45 aduorso. XXX. 86 intrauorsus. inc. 93 uorsum[1]). Atque hac ex scripturae fluctuatione factum esse puto, ut VII. 32 libri praebeant furnacibus, quod uocabulum uulgo per o scribitur.

Iam paucis dicendum est de fluctuatione, quae in Lucili libris intercedit inter literas u et i in nonnullis uocabulis; quae literae quam arte inter se cohaereant in lingua latina, dilucide ex monumentis uetustioribus cerni potest. Ita habes in sen. cons. de Bacanalibus »nominus latini«. Neque a Lucili libris talia exempla absunt: III. 38 et IV. 6 habes formam decimanus, contra decumanus prostat V. 16. 17. Decumus inuenitur in corp. inscr. lat. I. 542. 1113. 1175. — IV. 6 acupenser[2]). Pariter V. 21 praebet L I intubus, intibus G. XXII. 8 petilis. XXVI. 40 domutionis. XXVIII. 9 L I minutari. Et similiter huc pertinet quod inc. 33 scriptum est tessurulae pro tesserulae, namque in pronuntiando literas e et i artissime inter se cohaerere notum est. Ac maxime haec, de qua sermo est, fluctuatio cadit in suffixa, quae nunc sunt -imus uel -imen, quae tempore antiquo per u semper scripta fuisse docet Corssen I. 331 sq. et II. 128 sq. Apud Lucil. legitur I. 8 infuma[3]), XXVI. 11 maxume, L I

1) Corssen. II. 29. 66.

2) Dubitari nequit, quin haec uox lateat in eo quod cdd. exhibent accubans aere.

3) Lachm. comm. Lucr. 99.

tamen maxime exhibet, XXVII. 37 pessumum. XXVIII. 45 optume. Eam scripturam C. Caesaris demum aetate euanuisse testantur Cornut. apud Cassiod. p. 2284. P.: »Terentius Varro tradidit Caesarem per i eius modi uerba solitum esse enuntiare et scribere« et Vel. Long. p. 2216. P.: »optumus, maxumus, in quibus annotandnm antiquum sermonem plenioris sonus fuisse, et, ut ait Cicero rusticanum«. Itaque cum certissimum sit Lucil. scriptura, quae est per u, usum esse, non abesse suspicionem puto librarios, quippe quibus in usu esset scribendi ratio recentior, illud u saepe suppressisse in eiusque loco recentiorem lectionem posuisse. Id si probabile uidetur, L. Mueller. permultis locis suo iure priscas formas restituisse putandus est.

Neque minus frequens est in lingua latina uocalium e et i commutatio. Adscribimus exempla Luciliana: III. 62 inter neciorem. VII. 18 tradit optimus liber L I uerosam, cod. G. tamen, qui ubique recentiores lectiones exhibet, uirosam. XXIX. 9 praebent L I et B linia, G. linea. Porro huc pertinet quod legitur XXIX. 73 ni pro ne, eadem forma reperitur in epigrammate quodam sepulcrali[1]: »te lapis optestor leuiter super ossa residas, ni nostro doleat condita ab officio«. XXX. 57 optimae membranae tradunt uerginis pro uirginis et I. 28 uellis pro uillis. Eodem modo in Caecilii Statii uersu trochaico (254 Ribb.) »nomen uirginis nisi mirumst, deintegrabit« praebet L I uerginis. Idem orthographiae genus apud Lucretium inuenitur: V. 45 cuppedo. IV. 609 uiis derectis et alia similia, Etiam hic monendum est plerasque eiusmodi formas librariorum arbitrio esse immutatas[2]. Quintil. I. 4. 17 affert formam magester, cuius de aetate disputat Corssen. II. 215 sq.

Fluctuat porro inter e et u gerundiorum scriptura. Et enim suffixi -endo, quo formantur gerundium et participium quod uocatur futuri passiui, genuina forma est, ut res satis notas attingam, ondo, ex qua procedente tempore uulgare illud

1) Primus edidit Bormannus in programmate scholastico Berolini 1872.

2) ea de re egit Ritschelius opp. II. 779.

undo ortum est. Neque tamen ea forma subito, ut ita dicam, ex lingua euanuit, sed usque ad Augusti tempora promiscue adhibita est praeter recentiorem in -endo [1]). Unum ex nostro exemplum attulisse satis erit: XXVI. 81 exhibent cdd. iaciundo. Saepius tales formae occurrunt apud Lucretium, uelut I. 1026 experiundo aliisque locis aliae. Occasione data monuerim uno in uocabulo Luciliano etiam illas literas, quae sunt u et e, fluctuare: IV. 3 scriptum est gumias, contra XXX. 89 gemiae, nos dicimus gomiae. Sed talia ad librariorum incuriam, ne dicam licentiam, potius quam ad ipsius scriptoris orthographiam referenda esse uix est quod moneam.

Pro uocali i producta tempore Lucili usitatissimum fuisse ei scribere demonstrat Corssen I. 330 sq. et 716 sq. exempla afferens imprimis ex inscriptionibus hausta. Atque ut apud Plautum, id quod maxime memorabile uidetur, eius usus rarissima sunt exempla, ita apud Lucil. omnino nullum inuenitur. Qua de re Muell. edit. p. 252 media fere ita iudicat, ut dicat: »uides quam fuerint pertinaces librarii tollenda diphthongo ei, ter in eodem uerbo qui obscurauerint«. Atque eam rationem secutus usquequaque diphthongum ei restituit praecipue in genetiuis singularis et nominatiuis pluralis secundae declinationis et ablatiuis tertiae, deinde in infinitiuis passiui, nec minus in datiuis singularis tertiae declinationis. Quo fit, ut in eius editione has formas inuenias: VI. 13 dimidiateis. XV. 12 anneis. XXV. 115 publiceis, cdd. exhibent publices I. 39 minuei. VI. 6 potirei. I. 40 elephanteis. XXVI. 53 uei. Saepe etiam in mediis uocibus diphthongum ei restituit: I. 39 preimo. VII. 26 simeitu. VII. 27 praeceidit. XXVI. 14 meiles meilitiam. [2]) XI. 17 treico. XXVI. 22 deleiro, cdd. praebent delero. XXVI. 26 quei, cdd. que tradunt. XXVIII. 50 reidicula. Quae uiri doctissimi ratio probanda sit necne, ea de re neque possum neque audeo indicare: hoc tamen nequaquam possum adduci ut credam

1) Utriusque formae exempla ad Ciceronis aetatem spectantia collegit Corssen II. 181 sq.

2) Haec est Scaligeri emendatio.

librariorum diphthongi illius tollendae eam fuisse cupiditatem, ut illius ei ne unum quidem uestigium sit relictum. Saepe Lucil. in mediis uocibus diphthongum ei scripsisse certe probabile uidebitur ei, qui inscriptiones a Corssenio I. 716 in medium prolatas, quae omnes Augusti aetate sunt priores, paullo attentius inspexerit: neque tamen inde sequitur usquequaque diphthongum illam Lucilio esse reddendam, cum inde a Gracchanis temporibus usque ad Caesaris excessum haud raro eaedem uoces in eadem inscriptione et per ei et per i scriptae occurrant [1]). — Deinde nominatiuus uel accusatiuus pluralis tertiae quae uocatur declinationis, qui primo per eis scribebatur, is exaratus est ex ea ratione, quam Varro indicauit de l. l. VIII. 440 in unguis VIII. 16, anguis XXVI. 34, omnis inc. 97. Ex eadem prorsus ratione uetustioris consuetudinis explicandus est in tertia declinatione ablatiuus in i, qui ei antea fuit, qua de re infra dicturus sum. Neque neglegenda uidentur in tota hac quaestione diudicanda atque examinanda quae Quintil. I. 4. 28 exponit: »neque e plane neque i auditur«.

Sed priusquam huius de Lucili orthographia disputationis finem faciam, de nonnullis rebus mihi dicendum est, quas cum singulariter quasi occurrant, me huc usque nondum tetigisse profiteor. XII. 4 scriptum inuenies hemini pro homini, cuius usus aliud exemplum apud Lucil. non prostat [2]). Deinde XXVI. 76 legitur defrudet pro defraudet, patet diphthongum au praua pronuntiatione uulgi transiisse in u longam, plura eius usus exempla non occurrunt. Deinde singulariter scriptum est XXX. 32 insimilas, quam formam per attractionem quandam ita profectam esse liquet, ut ex his duabus syllabis altera in alterius similitudinem abiret. Neque abs re est nonnulla disserere de forma, quae est XXIX. 17 fauitor pro fautor; eadem extat in prologo Amphitruonis uu. 78. 79. Charisius 66

1) Corssen. I. 719 media fere.

2) Corssen. II. 4. adnotat. Ritschl. opp. II. 493.

profert de ea uoce haec: »fauitor antiqui dixerunt. At fautor nec auctoritate nec ratione deficitur«.

Ad priscum denique scribendi modum spectat uocabulum unum, quod legitur inc. 25 et scriptum est per OV, ubi nos ponimus u longam: Oufentina Oufente. Aliud eius scripturae exemplum apud Lucil. non occurrit. De usu eius OV scripturae egit Rischelius[1]): »ac primum OV scripturae exemplum medii quidem saeculi septimi nullum noui, si ab una radice ea recessero, a qua IOVS. IOVSSI. IOVDICARE. IOVRARE facta sunt: in his enim solis priscum scribendi modum tenax uetustatis consuetudo legalis seruauit ad legem usque Antoniam anni circiter 682/72 a. C. n.« Tum in eis, quae sequuntur, exponit Ritschelius prima omissae O exempla iam lapides Patauinos anni circiter 619/135 a. C. n. praestare ter IVSIT exhibentes, semel IOVSIT. Atque apte hoc loco citauit L. Muell. quae affert Marius Vict. 12: »nostri etiam quotiens eiusdem soni syllaba scribenda esset, et ipsi adiungebant o literae u; inde scriptum legitis Loucetios, nountios, et loumen et cetera«. Nec minus huc pertinent quae exposuit Ritschl. in commentario modo citato p. 34 sub finem: »his quae exposui curiose perpensis satis iam confidenter amplector quod modeste Mommsenius coniecit de dial. p. 217 sq., non unius simplicis uocalis loco illam esse OV scripturam, sed ex o uocali et v consonanti compositam syllabam. In quam partem sq.« Et rectissime Muell. p. 273 monere mihi uidetur hoc quod apud Lucil. seruatum sit exemplum Ritschelii opinioni propositae non fauere, neque enim latino sermone copulatae v et f exemplum prostare. Sed haec Lucili lectio tantum abest, ut infringat Ritschelii obseruationem, ut potius ad Graecorum scribendi morem referenda ex eoque explicanda uideatur. Quae dixi ideo ueri similia sunt, quod Ouf-ent-ina eandem radicem exhibere uidetur atque uox graeca *οὖϑ-αρ*[2]). Denique

1) de miliarco Papiliano p. 3.

2) Corssen. enim I. 353 haec affert: »ov: Ovf-ent-ina, gr. *οὖθ-αρ* euter, *οὖθ-αρ ἀρούρης* fruchtbarer stoff des landes«.

monuerim hanc uocem Lucilianam ideo maxime memorabilem esse, quod in Plauti libris eius priscae OV scripturae ne unum quidem occurrat exemplum [1]).

Iam, ut hanc de orthographia disputationem ad finem perducam, nonnulla dicenda mihi uidentur de adsimilationis praepositionum apud Lucil. usu. Primum repetas quaeso memoria quae supra, ubi de geminatis consonis sermo erat, ea de re sunt prolata. Lucil. ipsum in libri IX. frgg. XV. XVI. XIX. XX praecepta huc spectantia dedisse omnibus est notum. Quae si accurate perlegeris, facile in eam incides sententiam iam tum temporis communi uulgi usu adsimilatas esse praepositiones et »id potissimum fuisse, qui dubitarent, scribendo etiam exprimendus esset nouus pronuntiandi mos necne« [2]). Sed cum nimis longum atque inutile uideatur omnia exempla ad ad similationem spectantia enumerare, in eo nobis acquiescendum est, quod in membranis praepositiones modo adsimilatas modo non adsimilatas inueniri statuimus. Quae fluctuatio quatenus cum ipsis Lucili de adsimilatione placitis conspiret aut ab eis discedat, uix definiri posse putauerim.

b) de eiectione uocalium.

α) de syncope.

Vocalis syncope praecipue occurrit in uocabulis, quae cadant in -culum, rarius extruditur uocalis u inter alias consonas. Atque Lucil. eis formis utitur saepius, quippe quae aptius quadrent in numeros dactylicos. Ita habes I. 40 miracla. VIII. 3 pocla. XXIX. 35 hercle. XXIX. 58 periclo ex probabili Dousae coniectura. XXIX. 18 tamen periculo et ibidem periculum. Saepius hanc syncopen in uocabulis in -ulum exeuntibus amplecti uideo Lucretium, qui usquequaque dixerit saeclum atque semper fere uinclum uelut III. 599. IV. 1202. V. 876.

1) Corssen. I. 667 sq.
2) L. Muell. ed. p. 225, 15.

1312. VI. 356. 1071. Ex Plauto ut exemplum afferam, poclum scriptum inuenitur Pers. 775 et Curc. 359. Porro oraclum habes apud Attium trag. Ribb. p. 185 et saeclum apud Caecilium comicum, quem saepius citauimus, p. 59 u. 210 »serit arbores, quae alteri saeclo prosint [1]«. Simili ratione inter p et l consonas u uocalis posita eicitur in uoce extemplo apud Plaut. Bacch. 291 et Pers. 164, contra forma extempulo inuenitur Bacch. 968; pari modo apud Lucr. VI. 1088 coplata; eiusmodi syncopes exemplum apud Lucil. non inuenitur [2]. Non minus saepe uocalis i eicitur, maxime ante consonam t in supinis uerborum et formis inde deriuatis. Atque saepissime ea syncope fit in uerbo ponendi, cuius participium perfecti passiui legitur III. 65 depostus et inc. 33 compostae. Eadem forma, quae est compostus, extat apud Verg. Aen. I. 249. Permultae eiusmodi formae leguntur apud Lucretium: opposta IV. 148 disposta II. 644 praeposta VI. 997, et alias alia prostant exempla [3]. Similis apparet syncopes natura his locis: IV. 29 soldum [4], contra XXIX. 103 legitur solidum. VII. 26 caldum, eademque forma extat VII. 32. VIII. 12 frigdaria. XVII. 4 dictum pro digitum, eadem forma inest in uerbis Varronis apud Nonium 117 sub uoce gangrena: »non uituperamus, cum scimus dictum praecidi oportere«. XXVII. 40 ardum pro aridum. Apud Catonen r. r. 6 habes caldus, apud Plaut. capt. 907 lardum pro laridum [5]. Paullo maior est syncope in inuasse ex inuasisse II. 6, petisse VI. 29, lacessisse XIV. 17, repedasse XXVI. 78, nosse XXVI. 91, misse Lachmanni coniecturae debetur XXVIII. 46, XXIX. 66 scribse, G tamen exhibet scripsisse. Pariter scripsit iusse Ter. Heaut. V. 2. 48, subduxe Varro r. r. II. 1, 6, sumpse Naeuius u. 97,

---

1) Exemplis a Corssenio II. 523 congestis addenda sunt ea, quae ex Lucil. hausi, quippe cuius rationem habuerit nullam.

2) Corssen. II. 526.

3) Corssen. II. 583.

4) haec est ingeniosa Muell. coniectura: cdd. exhibent suldum.

5) Corssen. II. 547.

protraxe Lucr. V. 1157 [1]). Paullo latius patet deprauatio in uerbo apisci, quod legitur XXVI. 9, ubi eiecta uocali i necesse erat etiam alteram consonam p excidere, ita quidem, ut altera alteri consonae adsimilaretur. Similiter huc pertinet forma ditias XXVI. 31, quam bene restituit Muell. ex eo quod L I praebet uitia. Aliud est syncopes genus, ubi ui uel ue excidit: VI. 11 nosti pro nouisti IX. 9 cognorim pro cognouerim. XXIX. 11 cognoris. XXX. 9 exanclaris. XXX. 116 inuitasse et instigasse. XXX. 131 perolesse. inc. 158 decreris. Paucis dicendum est de syncope, quae inest in forma mansti [2]), quae fit ex mansisti eiecta uocali i, quo facto efficitur mutatio quaedam per leges consonarum: namque cum duae literae s ante consonam concurrant, ex eis unam abici necesse est, ne nimis coaceruentur consonae. Eadem dicenda sunt de forma noxit, quae legitur inc. 39. Apparet enim genuinam formam fuisse noc-si-sim, cum coniunctiuus perfecti ita existat, ut coniunctiuus uerbi, quod est esse, accedat ad perfecti characterem, qui est si. Eiecta cum esset uocalis i, haec orta est forma: nocssim, quo facto c et s literae coaluerunt in x, ita ut prodiret noxsit, quod s post x in scribendo et pronuntiando excidit [3]). Talia exempla accurate congesserunt Struu. [4]) et Corssen [5]). Inde cernitur quam frequentes fuerint tales formae, imprimis apud poetas scenicos, Plaut. et Ter., ita tamen, ut illi magis sint familiares quam huic. Atque cum ad popularem sermonem pertineant, facile uidemus, quo iure eas Lucil. in usum uocauerit eique saturarum scriptores adhibuerint, qui post illum fuerunt:

---

1) Corssen. II. 557 alia exempla affert. Infinitiuos, qui sunt dixe traxe iusse scripse, ita ortos esse arbitrantur Struuius lat. decl. u. conj. p. 178 et Boppius vergl. gramm. III 275, ut infinitiui terminatio -se ad ipsam uerbi radicem accedat, quamobrem ab eis, qui sunt dixisse traxisse, seiungendos esse censeunt; quibus oblocutus est Corssen. II. 561.

2) cdd. exhibent peruerse »mansi«, mansti esse scribendum uoce, quae praecedit, »quaeris« comprobatur.

3) Corssen. II. 561.

4) Struu. lib. cit. p. 153.

5) Corssen. II. 554 sq.

Horatius et Persius. Neque alienae sunt tales formae ab Ennio, Lucretio, Catullo, Vergilio, unde colligere licet, quam late hic usus patuerit.

Denique hic uix opus est ut memoremus formam »est« saepe etiam in scriptura cum praecedente uerbo coalescere, cuius usus in Lucili libris multa extant exempla, quae adscribere uix e re esse existimauerim. Hinc optime transimus ad

β) contractionem et synizesin.

Primum uelim repetas memoria nonnullas formas supra a me syncopes exempla citatas: petisse lacessisse repedasse nosse cognoris exanclaris perolesse. Eae formae, quas saepius etiam apud auctores classicos inueniri constat, ita existunt, ut V consona, cum tenuissima sit, eiciatur; ita fit, ut uocales stirpium a e i o cum uocalibus terminationum e uel i concurrant et cum eis contrahantur atque coalescant. Unum exemplum extat XXIX. 66, ubi contracta est perfecti temporis forma: deierāt. Analogias praebet Lucr., uelut I. 70 inritāt et VI. 587 disturbāt; porro Plaut. merc. 648 adflictāt [1]).

Simillima est ea contractio, qua coeunt duae uocales elisa consona spirante h, atque, si uerum uideo, eis in uocabulis frequentissima, ubi eundem sonum uocales habent. Huic generi haec adnumeranda sunt exempla: IX. 35 nil pro nihil, quod ubique uiri docti in Lucili libris restituerunt, pariter orta est forma mi inc. 72, utraque pertinet ad sermonem popularem [2]). XX. 10 legitur reprendi. XXVI. 21. XXX. 79. inc. 99 posuit L. Mueller uementer pro uehementer [3]). Vemens habes praeterea apud Lucr. III. 480 et uementer Ter. Hec. 488. Neque aliter ortum est nemo ex nehemo et me ex mehe, dicit enim Quintil. I. 5. 21: et mehe quoque pro me apud antiquos tragoediarum praecipue scriptores in ueteribus libris inuenimus.

---

1) L. Muell. d. r. m. p. 399.

2) Corssen. II. 706.

3) Ita cur statuerit, aeque accurate ac bene exponit d. r. m. 253 et 254, sed haec quae proposuit cur retractem causa non subest.

Nonnumquam in mediis uocabulis concurrentes uocales contrahuntur, uelut III. 15 pascalis ex pascualis, quam u literam etiam alias extritam uideo: Cato dixit pascales oues, similiter habes fastosus flexosus, saepius occurrit quattor, fluctatim apud Afranium 237. Aliud exemplum ex nostro sumptum debetur Muelleri coniecturae, qui IX. 68 scribi uult em sane contractum ex eo quod est eum. Porro XXVI. 83 pure pro puere, eadem contractio est apud Lucr. IV. 1026 puri pro pueri. Nec minus contractio locum habet in retinerit XXIX. 85, qua de forma cfer. d. r. m. 29, et in monerint XXVI. 35. Atque ii in genetiuis in i contractum pronuntiatum esse usque ad Augusti tempora notum est[1]). Quam legem Lucil. etiam ad substantiuorum graecorum genetiuos transtulisse ex hisce exemplis patet: III. 31 cantheri pro cantherii et inc. 145 triclini pro triclinii. In genetiuo pluralis uu in ū contractum habes: III. 17 et XV. 5 passūm. Tales formae frequentiores sunt seriore latinitate eaque populari[2]).

Dixeram huc usque de contractione, quae sit ita comparata, ut elisionem uocalium efficiat. Iam accedamus ad id genus, ubi per synizezin duae uocales non in unam colligantur, sed ita coalescant, ut, quamuis suum utraque locum teneat tamen unam tantum syllabam in dicendo efficiant[3]). Nonnulla synizesis exempla eaque ad Lucil. pertinentia collegit R. Bouterwek in libello iam supra a me citato, cui inscripsit »quaest. Lucil« p. 8 media fere usque ad finem. Primum dicam de uocali e, que conteritur ante uocalem productam multis in formis pronominis idem: III. 43 eodem[4]) et inc. 18 eidem est disyllabum. Ad eandem rationem e cum sequenti uocali copulatur in unum: XXIX. 57 deum. XXVII. 25 mei. XXIX. 58 meo. Veniamus nunc ad i uocalem: II. 9 iniuriatum. XIII. 12

1) Lachm. comm. Lucr. 325 sq. Corssen. II. 696 sq.

2) Corssen. II. 712. media.

3) Muell. d. r. m. 429. Ritschl. proll. p. 131 et 161 sq. Corssen. II. 744.

4) Mueller d. r. m. 273.

dominia per tres correptas syllabas profertur, in eodem uersu est omnia disyllabum [1]). Porro u literam per synizesin adhibitam habes: XVII. 5 fuisse est disyllabum et XXVI. 85 tuorum. XXX. 51 cuius est monosyllabum. XXIX. 23 et V. 8 tametsi est disyllabum [2]). Denique monendum est XV. 4 nauis esse monosyllabum. Sed iam ex his quae attuli exemplis patere puto Lucil. in hoc synizesis genere satis frequentem fuisse.

Huic disputationi pauca subiungam

de uerborum mensuris.

Ea tantum in medium proferam, quae mihi Lucili saturas perlegenti digna uidebantur, quorum mentio fieret. Id enim hoc loco mihi monendum est me non in animo habere accuratius in res metricas Lucili inquirere. Etenim cum de his quaestionibus in uniuersum iam egerit L. Mueller in libro d. r. m. et unius Lucili metricam separate tractauerit Bouterwek in libello citato, iustam causam subesse non uidi, cur quae proposuerint uiri docti, iterum retractarem: immo potius ad eas res tractandas me conferam, de quibus adhuc, quod sciam, nemo scripsit: de rebus grammaticis, syntacticis, de elocutionis ratione. Itaque de uerborum mensuris ea tantum proponam, quae primo obtutu mihi se offerebant. Atque quod ad longarum syllabarum correptionem attinet, notandum est Lucil. uocalem i corripuisse IV. 24 in illius et pari ratione IX. 24 in unius. Deinde monendum est in uerbis cum praepositione pro iunctis Lucil. o producere solere, id enim mentione dignum uidetur, quod eam praepositionem a dactylicis plerumque correptam esse satis constat [3]). Nonnulla ex Lucilio exempla attulisse habeo. V. 45 prodenda. V. 28 propola habet porrectam praepositionem, quamquam repraesentat graecum uocabulum, quod est προπώλης. VI. 27 procedere. XXIX. 68 proderit. inc. 128

1) Muell. d. r. m. 429, ubi alia aliorum scriptorum exempla allata sunt.
2) Ritschl. proll. Trin. 328. Muell. d. r. m. 425.
3) L. Muell. d. r. m. 263.

prodes. XXVII. 31 prosit. XXVI. 18 proueniunt. V. 29 protulit. I. 33 protolleret. VI. 34 protelo, quod eadem mensura positum est XII. 1. III. 19 promunturium. VI. 3 propellere. XXX. 33 proficis. XXVII. 5 proferat. XVI. 15 producunt. XXIX. 60 producturum. Correptam tamen habes praepositionem pro: XXVI. 42 prohibuit. inc. 15 profesto. III. 64. profudit. XXX. 64 profundo.

Sed iam in his, quamuis sint pauca eaque satis nota, mihi acquiescendum atque ad alias res tractandas transeundum est.

c) de declinatione.

Initium capiam ab genetiuo singularis A-declinationis, quae uulgo prima fertur. Docent Neue[1]) et Buechelerus[2]) genetiuum singularis numeri priscum exiisse in -as, qui ex terminatione a--is nequaquam contractus sit. Etenim genetiuos in -ais desinentes prorsus aliter esse formatos, cum stirps litera i aucta sit, occurrere uero inde a sexto a. u. c. saeculo. Ex -ais apocope literae s ortam esse terminationem āī, quae procedente tempore contracta sit in ai et ae. Et satis constat priscam illam terminationem -as, quamuis alias ex linguae usu euanuerit, seruatam in genetiuo familias, fortasse etiam in aduerbiis alias et interuias, omnibus temporibus esse usurpatam. Eius prisci genetiui exemplum apud Lucil. non occurrit. Etiam genetiuus, qui in -ai cadit, a membranis alienus est certe librariorum imperitia mutatus in -ae, quippe quibus scribendi ratio recentior magis in usu esset. Idem quod de Lucili libris proposui etiam in Ennium Plautum Terentium et satis saepe in Lucretium cadere luculenter exponit Neue I. 11. Quo fit, ut Lachm. aliique scriptoribus illis permultis locis merito atque optimo iure uetustiorem terminationem ai intulerint. Atque etiam Lucil. genetiuos in ai cadentes saepius usurpasse post editionem

1) Neue formenlehre der lat. sprache I. 5 sq. ed. II. Berol. 1877.
2) Fr. Buecheler grundris der lat. declination. Bonn. 1879. p. 62 sq.

Muellerianam uix cuiquam obscurum esse putauerim. Quam uiri docti sententiam his, quae propositurus sum et quae summi momenti sunt, fulciri unus quisque mihi concedet. Apud Quintil. de inst. or. I. 7. 18. 19 haec uerba leguntur: »Ae syllabam, cuius secundam nunc e literam ponimus, uarie per a et i efferebant, quidam semper ut Graeci, quidam singulariter tantum, cum in datiuum uel genetiuum casum incidissent. Unde pictai uestis (aen. IX. 26) et aulai (aen. III. 354) et aquai (aen. VII. 464) Vergilius, amantissimus uetustatis, carminibus inseruit. In eadem plurali numero e utebantur, hi Syllae, Galbae. Est in hac quoque parte Lucili praeceptum, quod quia pluribus explicatur uersibus si quis parum credat, apud ipsum in nono requirat«. Etsi uersus illi, quibus Lucil. nominatiuum pluralis per ae scribendum esse docet, aetatem non tulerunt, tamen haec coniectura ex Quintil. uerbis elici et pro certo fere statui potest Lucil. ipsum commendasse rationem eorum, qui genetiuum et datiuum singularis numeri per ai scribere soliti sint. Etenim mihi quidem primo obtutu apparere uidetur illam scripturam nominatiui pluralis per ae nisi scripturae genetiui et datiui singularis opponi non potuisse. Itaque Lucil. si pro certo habendum est probasse genetiui et datiui terminationem ai, nonne eundem ueri simillimum est etiam eam uetustiorem formam saepius in usum suum conuertisse? Accedit uero, quod inscriptionibus, quae ad Lucili aetatem pertinent, haec prisca genetiui forma satis familiaris est [1]). — His praemissis exempla ipsa enotemus: XXX. 68 lanai [2]). III. 28 rutai [3]). IV. 37 ferai [4]). XIII. 10 epulai, neque enim ullo modo ferri potest quod cdd.

---

1) Corssen. I. 677.

2) cdd. tradunt lanae lana luna.

3) Rectissime Muell. coniecisse patet aperta metri necessitate; rutia enim exhibet liber Parisinus, facile fieri potuit, ut uocalis i traiceretur.

4) etiam hoc loco lectionem traditam ferat Muell. bene emendasse ipso metro probatur; eandem formam idem coniecit VII. 23. IX. 22 pilai. XI. 4 restituit uiai sternendai pro eo quod est in cdd. uim et sternenda. Ut de sensu, quem praebet lectio tradita, taceam, emendatam lectionem optime sese habere re metrica comprobatur.

tradunt epulatio. Sed ne in singulari numero, quem exhibet emendatio, offendas, prohiberis Pauli uerbis 82: »epulam antiqui etiam singulariter posuere«. XIV. 17 horai (cdd. hora et) eademque forma XX. 13. XXIX. 15 uitae meai [1]). Praeter haec exempla femininorum unum inuenitur masculini: V. 44 Tiresiai ex certissima Merceri coniectura, nam quod cdd. tradunt Tiresiam neque si ad sensum neque si ad rem metricam spectas ferri potest. Apte cum hoc genetiuo confertur qui extat apud Lucr. V. 28 Geryonai. Saepius has genetiui formas in cadentes in fine uersus occurrere uideo, uelut IV. 37. XI. 4. V. 43. XXIX. 15 aliisque locis, quos enumerare longum est. Id cur factum sit, causa non est in obcuro, namque tales genetiui efficiunt uersus exitum non solum metro satis aptum, sed etiam pleniore sono ornatum. Rarius occurunt in ineunte siue medio uersu, omnino non in quinto pede excepto uno exemplo XXIX. 15. Apparet enim illos genetiuos ea in sede turbare processum uersus, qui postulat dactylum in pede paenultimo. Atque ut de nominatiuo A. declinationis nonnulla proponam, in patronymicis e Graecorum more formatis latinam flectendi rationem sequitur Lucil.; ita habes inc. 57 Scipiadas et XI. 14 Scipiadae ab eo quod est Scipiadas deriuandum uidetur. Simillima ratione posuit Lucr. III. 1034 Scipiadas et I. 26 Memmiadae.

Unum prostat exemplum, ubi genetiuus pluralis in ūm exit: III. 18 Dicarchitum [2]) pro Dicarchitarum. Ea breuiore forma omnes fere poetas latinos usos esse monet Muell. [3]), uelut Petronium Statium Silium Sidonium. De ipsa forma egit Neue I. 20 et docet eam praecipue in patronymicis graecis occurrere, id quod etiam in nostrum exemplum cadere nemo non uidet. In eodem casu noster graecanicam patronymicorum terminationem adhibuit inc. 24 Tuscolidarum. Haec est

1) B et Gen. tradunt in uita meae, G et L I inuitia meae: utraque lectio sensu est cassa.

2) Diciarchicum exhibet Guelf. et Mon., L II dici ar thicum, quod correxit Muell.

3) Muell., ed. p. 203, 11.

splendida sane Wunderi coniectura, membranae enim exhibent tu solidarum. In ceteris casibus nihil reperio, quod mentione dignum uideatur.

Transeamus nunc ad O-declinationem, quae uulgo altera perhibetur. Atque ut a nominatiuo incipiam, constat eum casum primum exiisse in -os et -om; nec tamen eae terminationes diu uiguerunt in earumque locum uulgares, quae sunt -us et -um, cesserunt [1]). Eas uetustas formas praecipue post v et u et qu seruatas fuisse iam supra monui eumque usum exemplis illustraui. Sed etiam, si aliae literae praecedunt, illarum terminationum usus uestigia apud nostrum deprehenduntur. Etenim III. 9 legitur rhinoceros, unus tantum cod. Parisinus tradit rhinocerus, et III. 34 exhibent omnes cdd. cippos. Similia sunt quae extant in corp. inscr. lat. I. n. 32 filios et Luciom.

Genetiuus singularis et nominatiuus pluralis in lingua classica finiuntur in i, quae quidem terminatio orta est ex genuina o -is abiecta primum consona s, deinde uocalibus contractis [2]). Praeter hanc usitatam terminationem i alia inuenitur utriusque casus ei, quam haud pauci ita explicauerunt ut dicerent ei aliam scribendi rationem esse pro i longa [3]). Aliter de hac quaestione indicauit Corssen, qui differentiam quandam soni intercessisse statuat inter formas in -ei et in -i exeuntes, cum utrumque scribendi genus per se extiterit et postea demum terminatio in ei euanuerit. Ut ut res se habet, hoc pro certo affirmari potest formam in -ei exeuntem esse genuinam atque uetustiorem [4]). At fortuito quodam casu

1) Neue I. 64 sq. Buecheler. p. 22 sq.

2) Buecheler p. 69 sub finem sq.

3) Sic de ea quaestione statuit Buechelerus 70: »hiernach kann nicht behauptet werden, dass durch aufnahme des ei in Attius zeit ein an den ehemaligen diphthong erinnernder mischlaut und etwas anderes als langes i ausgedrueckt ward.

4) discernendum est inter genetiuum singularis et nominatiuum pluralis: huius prisca forma in -ei cadebat (Corssen. I. 749. 750), illius tamen in -i, inde a Gracchanis demum temporibus genetiuus terminationem ei exhibet. Corssen. I. 765 sq.

euenisse puto, ut idem scriptor, cuius declinationem tractamus, ipse accurate docuerit, ubi i, ubi ei scribendum esset. Dicit enim lib. IX. frg. 9 haec: »iam puerei uenere. e postremum facito atque i, ut pueri plures fiant. i si faci' solum, pupilli, pueri, Lucili hoc uniu' fiet.« Et frg. XII: »hoc illi factumst uni: tenue heic facies i haec illi fecere: adde e, ut pinguiu' fiat.« Denique de eadem re frg. XIII. haec disputat: »porro hoc sit 'filiu' Luci': feceris i solum, ut 'Corneli' 'Cornificique' 'mendaci' 'Furi' que. addese, cum 'dabi', Furi', iusseris. Quibus quam regulam exprimere uolerit, non est in obscuro. Etenim liquet eius placita in genetiuis singularis et nominatiuis pluralis discernendis ita comparata fuisse, ut illos per i, per ei hos scribendos censeret. Atque hoc monuerim diphthongi ei pro i eis condicionibus, quas statuerit Lucil., positae satis multa in eius fragmentis superesse exempla. Etiam eo in scribendo cum ipsius placitis conspirat, quod genetiuum, ut supra uidimus, per unum i scribi uult: IV. 14 Licini. XI. 1. Grani. XXVI. 57 Popili et ibidem Corneli. Porro III. 31 cantheri et inc. 145 triclini.

Occassione data exemplum citem, ubi in nominatiuo pluralis terminatio graeca in -oi exiens usurpata est: IX. 71 parectatoi, quae forma etsi coniecturae debetur, tamen quae cdd. praebent, eiusmodi sunt, ut inde facile eliciatur.

Genetiuus pluralis numeri exit in -orum; eius prisca forma fuit om, inde a sexto a. u. c. saeculo terminatio-um praeualere coepit [1]). Atque Neue [2]) docet in hoc casu linguam oscam solam atque unam terminationem -um uel -om exhibere pariter atque linguam graecam -*ων*. Apud Lucil. habes XXIX. 25 ferum, quod uerbum genetiuum substantiui esse ab eo quod sit ferus monet Muell. [3]). Porro huc pertinent hi genetiui: nummum IX. 65, nummorum legitur VI. 23, cadum XVIII. 2, medimnum XVIII. 1 [4]).

1) Buecheler lib. cit. p. 85.
2) Neue I. 103.
3) Muell. ed. p. 260.
4) Alia ex aliis scriptoribus exempla congessit Neue I. 107 sq.

Duae extant uoces, quarum accusatiuus pluralis numeri cadit in -us pro -os: XXVIII. 12 philosophus. XXVIII. 15 atomus. Sed cum eius usus similia exempla, quantum uideo, non occurrant, haud scio an rectius de illis formis ita iudicemus, ut Lucil. uoces illas ex U-declinatione declinasse statuamus. Accusatiuum singularis numeri graecae alterius declinationis habes inc. 80 cercupithecon (*κερκοπίθηκον*) Similiter inc. 49. Atticon hoc est.

Transimus iam ad eam declinationem, quae complectitur stirpes in I uel in consonam exeuntes, quam uulgo tertiam uocamus. Primum quidem unum extat uocabulum[1]), cuius accussatiuus singularis, qui uulgo in -em terminatur, a nostro in -im formatus est. Charisius enim 101 haec profert: »clauim Tibullus, strigilim quoque Lucilius«. Fortasse eundem respicit Nonius, cum dicit 223, 5: »strigilim manifestum est esse generis feminini«. Atque Corssenius[2]) quidem docet tales accusatiuos esse priscos et genuinos, cum declinatio in I accusatiuum primum in -im formauerit, ut graece in *-ιν*. Postea i uocalis debilitata transiit in e, remanentibus paucis uocabulis, quae restinent -im, ut amussis et alia, quae uideas apud Neue I. 198, et quibusdam singulis exemplis, quibus id quod attuli est adnumerandum. Aliter atque Corssenius de hac re statuit Buechelerus[3]), quippe qui genuinam I-declinationis terminationem -em esse statuat, quae nonnullis in uocibus in -im transierit: utra sententia praeferenda sit, certe iudicium penes me non est.

Nomina quae in -es exeunt, noster plerumque latina declinatione spreta ex graeca formauit: I. 12 Carneaden[4]). Eiusmodi formae quatenus ex elisione pendeant, docet Lachm. comm. Lucr. V. 839. Porro huc pertinet XVII. 8 Ulixen,

---

1) lib. inc. 78.

2) Corssen. II. 225. 226 adnotat. II, krit. beitr. p. 546. Cui adstipulari uidetur Neue I. 196.

3) Buecheler lib. cit. p. 46.

4) Neue I. 308 sq.

quam formam praebent membranae. Ulixem tamen scribi uult Muellerus ita argumentatus, ut dicat se nullo pacto adduci posse ut credat Lucilium nomen iam antiquissimis inde temporibus populariter habitum apud Romanos ad graecanicam normam inflexisse. Sane haec argumentandi ratio etsi aliquid habet, quo commendetur, tamen non ita est comparata, ut librorum auctoritatem infringat, praesertim cum saepissime Lucilium nomina ad graecam normam inflexisse satis constet. Accedit, quod Horatius, qui Lucilium saepius imitatus est, eiusdem uocis graecanicam formam adhibuit Serm. II. 3. 197. 204. Deinde in medium proferendum est catapeiraten[1]) III. 43.

Datiuus singularis numeri exit in -i, gemina tamen terminatio uidetur fuisse ei, quippe quae saepius occurrat in inscriptionibus ad antiquitatem pertinentibus. Ita habes in elogio L. Scipionis Barbati uirtutei[2]); alia exempla sunt patrei[3]) Dionei[4]) uoluptatei[5]). Ea uetusta terminatio in Lucili membranis non exhibetur, atque id satis mirum uideri debet, cum ipse IX. frg. 13 doceat: »mendaci furique addes e, cum dare furei iusseris«. Muellerus tamen interpunctione aliter instituta contrarium sensum efficit, ita ut mendaci Furique non iungendum sit cum eis quae subsequuntur addes e sq., sed quae praecedunt. Atque haec emendandi ratio eo commendatur, quod, ut supra dixi, ei datiui terminatio in libris non inuenitur, haud pauca tamen exempla extant genetiui singularis alterius declinationis per simplicem i scripti[6]). Saepius uero datiuum in e exire reperies, qua de re conferas quaeso Neue I. 193 et Buecheler lib. cit. 108. Quam terminationem ex illa, quae est

---

1) cdd. uarias lectiones exhibent: Sang. cataporatem, Guelf. cataportem, Mon. cataparatem.

2) c. i. l. I. 30.

3) c. i. l. I. 807.

4) c. i. l. I. 1435.

5) c. i. l. I. 1008.

6) Exempla supra allata sunt, ubi de secundae declinationis genetiuo sermo erat.

ei, debilitatam ac corruptam esse satis ueri simile mihi uidetur, quamquam Neue eius rei mentionem non facit. Iam enotemus exempla: I. 6 priore. III. 46 corpore eademque forma XXVIII. 53. IV. 45 munere. V. 2 regione. VII. 24 esuriente leoni [1]). VIII. 5 et XII. 3 pectore. Porro XII. 10 si quid pueris nobis me et fratre fuisset. Conferendus est Enn. uersus ex lib. II. sumptus: si quid me fuerit diuinitus. XXVIII. 33 sene, quod recte restituit Muellerus ex eo quod membranae exhibent eneis. Denique XXX. 13 uirtute. Eam priscam datiui in-e formam Sallustio satis usitatam esse constat [2]).

Commemorandum est Lucilium ablatiuum saepius in -i formasse. Genuina ablatiui terminatio uocabulorum, quae in consonam uel in i finiunt stirpem, est id [3]). Postquam d litera, quae indicat ablatiuum, decidit, terminatio i remansit, quae postea in -e debilitata est [4]), ita tamen, ut haud pauca sint uocabula omnibus temporibus i retinentia [5]). Affero haec exempla Luciliana: III. 30 feruenti. XII. 6 fami plenum. XV. 16 exhibet G maiori [6]). Similiter dixit Lucr. V. 664 orienti lumine et V. 887 fugienti uita.

Proxime accedit ad formas antiquas, quod nominatiuus et accusatiuus pluralis uocabulorum, quae in i finiant stirpem, nonnumquam per i scripti inueniuntur [7]). Prisca terminatio est eis, ex qua primum is, tum uocalium deprauatione -es extitit [8]): XXVIII. 12 tristis. Alias accusatiuum pluralis ex

---

1) Hoc loco constructionis interpretatio etiam ita institui potest, ut coniungamus illud esuriente cum eis, quae subsequuntur »ex ore«, quamquam ita traiectio uerborum existeret, quam minus arridere concedendum est.

2) W. Schmitzius mus. rhen. XIX. 477.

3) Bucheler lib. cit. p. 96. 97.

4) Corssen. I. 734. 735.

5) Neue I. 212 sq.

6) Buecheler p. 100; hinc probabile est Lucilium maiore scripsisse.

7) Neue I. 245 sq.

8) Ita statuit Corssen. I. 738. 739, Buecheler. tamen p. 54 terminationem -es uetustiorem esse -is arbitratur. Corssenio adstipulatur Neue I. 246.

norma graeca formauit noster: I. 40 praebent cdd. elephantas, ubi Muellerus scribi uult elephanteis; I. 43 legitur cleinopodas. Genetiuum singularis graece inflexit I. 25 Thestiados. Pariter Iuuenalis XI. 180 Iliados.

Multa neutra tertiae declinationis praeter usitatam terminationem -um aliam scribendi rationem per -orum exhibere docet Neue I. 283 sq. Eius usus duo habes exempla: VII. 27 et XVI. 31 forma olerorum pro olerum legitur. Similiter Cicero genetiuos adhibuit quales sunt poematorum et emblematorum. Semel adhibita est terminatio in ium, ubi um expectamus: IX. 48 forcipium. Principium genetiuus legitur in Attico Nepotis XVII. 3 et municipium habes in Cic. oratione pro Plancio § 19. Porro extispicium et principium Accius dixisse uidetur 419 et 501 [1].

Transeo ad U-declinationem, quae in grammaticis quartum locum tenet. Genetiui terminatio est-us uel uus, quae forma saepius in inscriptionibus occurrit, uelut exercituus Henz. 5918. Multo saepius terminatio in -i locum habet, cuius explicationem Ritsch.[2]) ita instituit: genetiui terminatio genuina est -uos, ex quo factum est -uis. Deinde decidit consona sibilans s, quo facto ui corripitur in i. Eius formationis, cuius apud poetas scenicos et in inscriptionibus frequentissimus est usus, apud nostrum unum tantum inuenio exemplum: XXX. 19 sumpti. Aliter atque magnus Ritschelius de hac forma in i exeunte iudicauit Neue[3]), qui in illa terminatione transitum ad alteram declinationem latere statuit. Ac sane hoc exemplo Luciliano uiri docti sententiam fulciri nemo non uidet, cum etiam neutrum sumptum legatur. Genetiuum senati Sallustius saepe usurpauit: Cat. 53. 1. ib 38. 2. 3. Iug. 25. 7. 11. Datiuus exit in -ui, quam terminationem crebro ab omnibus fere omnium aetatum scriptoribus in-u contractam esse demonstrat Neue I. 356, uelut a Lucretio, Cicerone, Liuio, Vergilio, Sallustio, Tacito,

---

1) Eam quaestionem fusius tractauit Lachm. ad Lucr. I. 744.
2) mus. rhen. VIII. 494.
3) I. 352.

aliis. Ex nostro cito IV. 8 uictu. IV. 9 anu. XXVI. 52 gradu. XXX. 56 uultu. Idem cadit in genetiuum pluralis, qui exit in uom, postea in uum, quam terminationem saepius contrahi in ūm docet Neue I. 359. Eam synizesin probauit etiam noster, nam III. 17 et XV. 14 legitur passum pro passuum.

Pauca habeo, quae de E-declinatione, quae uulgo quinta fertur, in medium proferam. Genetiui genuina forma est -eis, quae terminatio tempore procedente formata est in es, cuius formae apud Lucilium nullum exemplum extat, sed notum est illud Lucretianum [1], quod Neue I. 378 affert: quodcumque est, rabies unde illaec germina surgunt. Porro in omnium ore uersatur uerbum quod est Diespiter. Ex illa genuina forma eis abiecta litera finali s uulgarem formam ei prodiisse notum est, quam saepius in e contrahi docet Neue I. 375. Ita nonnulli Lucili libri exhibent VI. 35 re pro rei. Eadem contractio cadit in datiuum singularis, cuius usus hoc laudo exemplum: facie tribus locis positum est pro faciei VII. 7. VII. 9. XXX. 56.

Sequitur, ut ea nomina et substantiua et adiectiua enotemus, quae diuersam sequantur declinandi rationem.

d) substantiua heteroclita.

Primum dicam de fluctuatione, quae intercedit inter A-et O-declinationem. Ostrea genere feminino adhibuit Lucilius III. 25, neutrali IX. 8. XIIII. 8. inc. 46. Feminino genere id uocabulum positum est a Plauto Rud. II. 1. 8 et Horat. Serm. II. 2. 21; neutrum habes apud Ouid. Fast. VI. 174 et Horat. Serm. II. 4. 33 [2]. Similiter inc. 87 legitur mendae pro eo quod uulgare est menda; idem quod Lucilius genus adhibuit Ouid. A. A. nocte latent mendae, idemque ibidem II. 653 eximet ipsa dies omnis e corpore mendas, quos locos respiciens haec monet Charisius I. 15. p. 55 »ergo mendum in mendacii signifi-

---

1) IV. 1083.

2) Charisius I. 15. p. 42. Neue I. 550.

catione dicetur, menda in culpa operis uel corporis«; mendum habes apud Cic. Att. XIII. 23. 2[1]). Fulmentum, quod generis neutri uolunt esse grammatici, feminino noster adhibuit duobus locis: IV. 29 et XXVIII. 33. Idem genus exhibet Plaut. Trin. III. 2 94 et Cato R. R. XIV. 1. Simillimae sunt formae aruas et lamentas, quae apud Naeuium et Pacuuium locum habent[2]). Pari ratione latrina XI. 26 femininum genus sequitur, neutrum tamen VI. 29[3]). Porro XIII. 10 pro masculino et feminino usurpata est uox epulum. Lucilius uidetur distinguere inter epulum et epulam, ita ut hoc pretiosorum et rarorum, uilium et communium ciborum illam esse dicat[4]). Neque in epula cur offendamus, est causa, cum Festus p. 82 »epulam antiqui etiam singulariter posuere« moneat. Deinde XVI. 17 pistrina est femininum genus, secundum Charisium 55 tamen ea uox uulgo neutraliter dicitur[5]). XXII. 9 labia est femininum, saepius pro neutro usurpatur, uelut Appul. Met. III. 25 p. 228[6]). XXVII. 46 charti uox uim masculini sibi uindicat: »nescis, ubi Graeci, ubi nunc Socratici charti?« Huc spectant Charis. uerba I. 15. p. 83: »margarita feminini generis est, quia graeca nomina ης terminata in a transeunt et fiunt feminina, ut ὁ χάρτης haec charta, margarites margarita, aut communia, ut ἀϑλητής athleta«. Videmus igitur Lucilium, cum masculinum genus retinere uellet, facere non potuisse quin eam uocem ad alterius declinationis normam flecteret. Horatius tamen hunc Lucili locum imitatus femininum posuit ep. II. 3. 310 »rem tibi Socraticae poterant ostendere chartae«. Urbs Ecbatana et apud scriptores latinos et graecos constanter pluralem numerum sequitur et secundum alterius declinationis normam flectitur, noster tamen accusatiuum Ecbatanam formauit XIV. 1: »ad regem legatu' Rhodum, Ecbatanam ac Babylonem

---

1) Neue I. 547.
2) Neue I. 552.
3) hoc exemplum Neue praetermittere non debuit.
4) Muell. ed. p. 234. 7. Neue I. 552.
5) Eam nocem afferre Neue neglexit.
6) Neue I. 548.

ibo, cercyrum sumam«. Praeter hunc locum eadem forma reperitur in uulgata Maccab. II. 9. 3 cum uenisset circa Ecbatanam. Appul. de mundo 26 plurali numero usus formauit Ecbatanas [1]).

Nunc per saturam cetera exempla affero: XXVIII. 51 legitur senecta [2]), usitatior forma est senectus, similiter aliqua ex parte XXIX. 68 satias pro uoce, quae magis e consuetudine est, satietas. Aliud genus fluctuationis est, quod Lucilius uocis uter pluralem mutato genere formauit utria: inc. 91: Andronis flacci leget utria«. Huc spectant Non. uerba 231. 29 »utres usu generis masculini tantum modo deputantur. neutri Lucilius [3])«. Porro V. 22 cepe est neutri generis et sequitur tertiam declinationem, V. 23 tamen est feminini et inflectitur ex prima [4]) inc. 86 habes limporem, usitata forma est lympha [5]). XXVIII. 41 scriptum inuenis glutino, quod descendit a nominatiuo, qui est glutinum, magis in usu est gluten; idem cadit in uocem consortio XXIX. 67, usitatius est consortium. III. 49 rictus sequitur IV. declinationem, apud Lucr. V. 64 tamen II, apud eundem poetam extat pluralis ricta V. 1064 [6]). IV. 81 algus sequitur IV. declinationem, procedente tempore eius uocis flexio ex III. apud classicos auctores praeualet [7]). De forma sumpti XXX. 19 quid statuendum sid, iam supra accurate uidimus. Denique commemorandum est Lucilium III. 2 posuisse freta, contra inc. 177 fretus. Nonius p. 205 monet »fretum neutri tantum generis esse uolumus«. Masculinum genus exhibet etiam Ennius (Vahlen. trag. 31): »Crassa puluis

1) hinc patet iniuria Lachmannum codicum lectionem »et batanam« mutasse in Ecbatana, ita ut uulgarem usum sequatur. Neue I. 480.

2) eius formae Neue rationem habuit nullam.

3) Neue I. 554. Ceterum hoc fragmentum ad Lucilium, non ad Liuium Andronicum, referendum esse suo iure existimat Muell. p. 280.

4) Neue I. 557 sq.

5) cdd. praebent limforem, quam lectionem retinuit Lachmannus u. 1190: utrum haec an illa forma praeferenda sit, dubitari potest et quaeritur, Lucili aetate Romani consonis aspirauerint necne.

6) Neue I. 523.

7) Neue I. 351.

oritur, omnem peruolat caeli fretum« nec non Cic. Verr. 5, 66, 169 [1]).

Venio nunc ad ea exempla adscribenda, quorum generis diuersitas nihil faciat ad declinationem mutandam. Atque ea omnia fere ad alteram declinationem pertinere obseruare licet. I. 42 noster pro masculino usurpauit uocem, quae est uolgus, XIV. 5 tamen neutro: dilectum uideo studiose uolgus habere [2]). III. 63 forus masculinum genus sequitur, fora neutraliter adhibitum est inc. 120. Neue de hac uoce disputat I. 547, secundum quem res ita sese habet, ut nunquam occurrat forma fori, saepius uero singularis forus. Contra fori quam uim habeant, docet Charisius I. 15: »fori loca spectaculorum, item fori sunt in nauibus, ubi nautae sedentes remigant.« IV. 1 lapathus est feminini generis, rectius uero neutri uim sibi uindicat, cum respondeat uoci graecae, quae est *λάπαθον*, uelut apud Plin. 20, 20, 85. Intubus a ueteribus masculino genere pro neutro frequenter dictum esse testatur Charisius I. 15. p. 77, sic a nostro V. 21 et XX. 3. Verg. uero neutraliter ea uoce usus est Georg. IV. 120. Deinde ficum, ubi fructum significat, modo masculino genere, modo feminino dixit Lucilius V. 29. 30. Cato R. R. 42 masculine adhibet eam uocem »librum cum gemma de eo fico [3]).« Collus constanter masculinum genus sequitur: VII. 27. XXVIII. 34. Plura exempla congessit Nonius p. 200: »collus masculini. Accius Epigono: quid cesso ire ad eam: em praesto est, camo collum grauem. Caecilius Harpazomene: hunc collum ludo praecidi iube. Idem Synephebis: ad restim res redit; immo collus, non res, nam ille argentum habet: Cato in Sercia: accipite, si uultis, hoc onus in uestros colles. Naeuius Cor.: utrum scapulae plus an collus calli habeat, nescio«. Videmus masculinum eius uocis genus antiquis familiare fuisse. VII. 16 et XXII. 7 reperitur nasum neutraliter adhibitum, saepius ea forma, quippe quae

---

1) Neue I. 526.
2) Neue I. 653.
3) Neue I. 622.

Prob. de nom. p. 221 testante antiquorum scriptorum latinorum propria sit, apud Plautum occurrit: Amph. I. 1. 288. Curc. I. 2. 18. Men. I. 2. 57. Mil. IV. 6. 41.[1]). XV. 23 medimnus est masculinum, pro neutro semper usurpauit Cic., Non. 213, 18. XVI. 4 sequitur mundum neutrum genus:

legauit quidam uxori mundum omne penumque.
atquei quid mundum, quid non? quis diuidet istuc?

de ea uoce profert Gellius IV. 1. 3: »mundum quoque muliebrem Lucilius in satirarum XVI. non uirili genere, ut ceteri, sed neutro appellauit his uerbis« sq. Non. p. 214[2]). De uoce, quae est penus, ueteres grammatici multa exposuerunt, quae cum Neue I. 680 diligenter ac bene tractauerit, nunc praetermittam: id tantum monuerim constanter femininum genus occurrere XVI. 5 et inc. 89. Inc. 85 gladium est neutri generis, masculinum aeque atque neutrum in usu fuisse docet Varro d. l. l. IX. 49. § 81., quam fluctuationem in ipsis eius libris uidere licet: l. l. V. 24. — 116. 8. 23. 45. R. R. l. 48. 3. Sed Quintilianus de neutro ita iudicat I. 5. 16: »gladia qui dixerunt, genere exciderunt«. Denique huc pertinet, quod sparum inc. 109 neutri generis est: »tum spara, tum rumices portantur, tragula porro«. Ex omnibus scriptoribus latinis unus Lucilius hac forma usus est[3]).

Videmus igitur dilucide ex his quae attuli exemplis Lucili aetate permulta substantiua nondum ad certam declinandi rationem peruenisse; tali uero fluctuatione significari linguam non adultam esse nemo ignorat.

His pauca subiunxerim quae de genere nonnullorum nominum a communi usu recedente obseruaui. Etenim res satis nota est genus nonnullorum uocabulorum fluctuare, cum aliud genus secutae uoces aut habeant aliam significationem aut eodem sensu seruato omnino non certa lege genus constitutum sit. Ac de priore quidem fluctuationis ratione hoc

1) Neue I. 537.
2) Neue I. 536.
3) I. 545 Neue.

loco nobis non est dicendum, quippe quae per se dilucida sit; de altera autem si quaerimus, statim elucet maxime locum esse uarietatis et fluctuationis in eis uocibus, quae tertiam declinationem sequantur. Primum quidem uox, quae est grex, a Lucilio pro feminino adhibetur: II. 33 ducere has greges [1]). IV. 32 longior hic quam grus grege concita cum uolat olim. Contra messis habet masculinum genus XXVII. 47 potius quam non magnum messem, non probam uindemiam [2]). Unum Lucilium hanc uocem pro masculino adhibuisse monet Neue I. 675. Masculinum pro neutro posuit Lucil. inc. 84. »gutturem eundem«, quem usum illustrat Nonius 207. 16 exemplis ex Naeuio Plauto Varrone petitis [3]).

Tanta cum sit substantiuorum fluctuatio, uni cuique mirum uideri debet, quod certissima declinandi ratione adiectiua sunt stabilita. Tria tantum notanda sunt exempla: I. 18 infamam ueitam [4]), alias infamus pro eo quod uulgare est infamis non reperitur [5]). VIII. 1 legitur gracila, qua forma usus est etiam Ter. Eun. 314. Naeuius formauit gracilens, Ennius gracilentus (ann. u. 259 ed. Vahlen): »deducunt habiles gladios filo gracilento [6])«. Denique imberbus pro inberbis inuenitur

---

1) Charisius I. 15 p. 72 disertis uerbis eum uersum Lucilio tribuit (Neap.): »ceterum feminina omnia monosyllaba sunt excepto grege et rege; quorum alterum ex diuerso genere constat. nam Lucilius in II ducere has greges feminino genere dixit«. Lachmannus, cui adstipulatur Neue I. 667, censet comm. Lucr. 112 legendum esse »Lucretius in II buceriasque greges«, quae uerba praebent Non. 208, Seruius ad georg. III. 287; Charis I. 15. p. 72. num eandem rem atque ceteri grammatici respexerit, dubitari potest, quamquam quomodo corruptela oriri potuerit, haud difficile est ad intellegendum.

2) cdd. exhibent magnum esse, unde recte restituit Aldus, quem sequitur Mueller, magnum messem. Vix dignum quod refutetur est quod Lachmannus scribit u. 642 »magno messo«. Cfer. Non. 213, 32.

3) Neue I. 658.

4) quomodo quae post »infamam« in libris sequuntur restituenda uideantur, exponere non huius loci est.

5) Neue II. 91.

6) Neue II. 87.

XXX. 77 »inberbi androgyni, barbati moechocinaedi«. Nonius p. 493 ex Varrone citat »maximi sunt idemque imberbi [1]«. Similiter apud Lucr. inueniuntur haec adiectiua, quae uocantur abundantia: II. 845 sterilus, V. 1292 inermus. I. 340 sublimus, quam uocem in usum uocarunt etiam Ennius trag. 5, Acc. frg. 576, Sall. hist. frg. III. 15. 4.

e) de pronominum flexione.

Vetus forma sus pro suus non apparet apud Lucilium; neque eius tempore pronominis »is ea id« huiusmodi formae uidentur uiguisse ut sum Enn. annal. 102 et 165; sam 228; sas 22 »constitit inde loci propter sos dia dearum«, 152. 261 358, sas 103 »uirginis. nam sibi quisque domi Romanus habet sas« pro eum eam eos eas. At formam ibus uno loco e librorum uestigiis licet cognoscere inc. 114: ibus ab rebus clepsere foro qui. Haec forma nititur certa magni Scaligeri emendatione, cdd. enim tradunt ibi, quod sensum non praebet. Cfer Neue II. 196. Veterem pronominis ille formam, quae o adsciscit in priore syllaba, quam Ennius et Lucretius euphoniae studentes saepius adhibuerunt, Lucilius nusquam in usum suum conuertit [2]. Satis perspicuae sunt reliquiae priscae declinationis in pronomine hic. Priscianus de antiqua huius pronominis forma sic iudicat XII. 6. 25. 26. p. 948: »ce quoque solebant per omnes casus uetustissimi addere articularibus uel demonstratiuis pronominibus, hoc est ab aspiratione incipientibus, ut hicce huiusce haecce hocce [3]«. Tales genuinae formae Lucilio satis familiares sunt et eas usurpasse uidetur, ubi uulgaris forma metrum non expleret: I. 34 hisce. VII. 4 huncin. XVI. 12 hosce. IX. 21 hice, cdd. huce. Nominatiui pluralis formae uulgares sunt hi hae haec. Saepius litera c est seruata: XXVII. 52 hic pro hi eademque forma occurit XXIX. 79., XXVI. 89

1) Neue II. 88. 89.

2) Mueller d. r. m. 386 sub finem.

3) Scripturam per unam literam c praeferendam esse docet Neue II. 204.

haec pro hae, est enim feminini generis[1]). Prisca genetiui forma pronominis relatiui, quae est quoius, a Lucilio non adhibita uidetur. Datiui genuina forma est quoi, de qua egit Quintil. I. 7. 27, de coniectura in textum iniecta est IV. 39 a Muell.: tenero manat quoi sucu' lacerto; cdd. exhibent maneatque; dubitari potest, num iure eam formam textui intulerit Muell. Multo ueri similius uiri docti uidentur coniecisse XXII. 1 quoiquam pro eo quod in libris est et sensu prorsus caret »quamquam«. Ablatiui singularis forma qui, quae legitur XXVI. 65 quicum, nonnumquam etiam a Cic. adhibita est: Lael. VI. 22 quid dulcius quam habere, quicum omnia audeas sic loqui ut tecum? et ibid. XXI. 77 nihil turpius quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter uixeris. Seru. comm. in Donat. p. 1786 »ablatiuus singularis aliquando uarie terminatur, ut a quo uel a qui. Nam dicimus a quo uenisti et a qui uenisti; sed a qui in usu esse desiit«. Quicum etiam pro quacum in usum uocari tradit Priscian. 13. 3. 13 p. 960 laudans uersum Vergilianum. Eius usus multa extant exempla apud Plautum, quae congessit Neue II. 230, nullum apud nostrum. Praeter ablatiui et datiui pluralis formam uulgarem »quibus« nonnumquam occurrunt rariores quis uel queis. Hanc coniecit suo iure Dousa VII. 16 »queis oculi non sunt neque nasum et qualia sanis«, neque enim membranarum lectio, quae est quos, ullo modo ferri potest; illa quae est quis legitur XIX. 3 »quis uti possis ac delectare domi te«. Flexio uulgaris pronominis, quod est alius, apud Lucil. satis stabilita est, formas dico genetiui et datiui alius et alii, cum antiquissimis temporibus etiam hi casus sequerentur flexionem stirpium in O formatarum[2]). Nominitatiui singularis priscam formam fuisse alis et alid satis constat[3]). Masculinum alis, quod legimus Catull. 66. 28, Lucil. non adhibuit, contra neutrum alid probabiliter ei restituit Ianus Dousa IX. 58: »sic item apud

1) Mueller. d. r. m. 389. Neue II. 207.
2) Neue II. 216. 217.
3) Neue II. 213. 214.

se longe alid est«. Alid uel alit praebent oblong. et quadrat. Lucr. I. 263 et III. 970.

f) de coniugatione.

In uerbo auxiliari Lucilio familiares sunt priscae formae, quae perspiciuntur in plenioribus terminationibus. Quaeritur, qua ratione formae quales sunt »siem sies siet« explicandae sint. Est enim optatiuus, cuius suffixum est ya; mera forma erat esiam, ex qua graece eiecta litera s factum est εἴην, latine uero abiecta uocali e siem [1]). Lucil. formam siem semel usurpauit XXVI. 19 »summis nitere opibus, at ego contra ut dissimilis siem«, sies semel inc. 23, siet sexies: I. 11. IX. 27 [2]). XXIX. 21. XXII. 3 [3]). XXVII. 12 denique IX. 36 intersiet. Alterius coniunctiui praesentis formae priscae, quae est fuam fuas fuat fuant, apud Lucil. uestigium deprehenditur nullum; Nonius p. 111. eum usus adstruit exemplis ex Liu. Andr., Enn. Pacuu. Titin. Afran. sumptis.

Pleniores sermonis antiqui formationes cernuntur etiam in uerbo quod est posse. Hoc enim nihil est nisi compositum ex aduerbio potis uel pote et uerbo auxiliari esse [4]). Itaque licuit cum ceteris poetis antiquis Lucilio ut in aliis uerbis compositis ita in hoc duas partes segregatas ponere. Itaque legimus V. 48 potis esse et III. 71 potis est. Atque quamquam adhibet etiam regulares formas contractas, tamen inueniuntur apud eum nonnullae, in quibus composita quidem sunt aduerbium potis et uerbum esse, sed nondum ita coaluerunt, ut in lingua classica: XXX. 108 potesse [5]). inc. 2 potesse. XXIX. 37 exhibent L 1 et B postes. inc. 88 potissunt. Coniunctiuus praesentis uel

---

1) Neue II. 592.

2) ea forma etsi coniecturae debetur, tamen certa est, nam libri tradunt si et, quod si separate ponitur, sensum non praebet.

3) siet emendauit Orellius, cdd. exhibent sit.

4) Neue II. 600.

5) libri etsi tradunt posset, tamen infinitiuus necessarius est, cum praecedat sperans; et facile intellegimus, quomodo ex potesse per metaplasmum oriri potuerit posset.

imperfecti temporis legitur his locis: I. 14 potissit. I. 37 potessint[1]). XXX. 19 potisset. I. 8 et V. 48 potesset. Nec desunt formae uulgares: IX. 65 potes. IV. 38 potest. V. 52 possumus. XII. 2 geminatione omissa posunt. VI. 6 possim. IV. 34 possis. XXVII. 50 possit. I. 24 possem. I. 16 posset. VI. 34 possent. XXVIII. 40 potuit, denique VI. 3 posse.

Venio nunc ad infinitiuos praesentis passiui a Lucilio nonnumquam more antiquo in-ier formatos. Ex hac prisca terminatione, quae qua ratione orta sit exponit Neue II. 406, postea uulgaris in i prodiit abiecta litera r pro s posita et contractis uocalibus i et e in i. Quam longe patuerit earum formarum usus, accurate cognoscere licet ex eis exemplis, quae Neue II. 407 sq. congessit. Neque enim solum in uetustis inscriptionibus et apud antiquos poetas inuenitur, uerum etiam porro uiguit usque ad aetatem Augusti, quiqqe qui apud Verg. Hor. Prop. extet, quos locos omnes collegit Neue II. 409 sub finem. Et frequentissimum talis infinitiui usu Lucr. fuisse satis constat. Itaque mirum uideri debet, quod in Lucil. saturis, quamquam saeculo fere prior fuit Lucretio[2]), tria tantum extant exempla: XXVI. 51 inrigarier. XXVI. 67 irrascier. inc. 173 amplectier. Hos tres infinitiuos ad ultimum uersus pedem pertinere obseruare licet, id quod non fortuito casu factum esse contenderim. Nec silentio praetermittam coniunctiuum quendam priscum perfecti »auerruncasint[3])«, quem Lucilius adhibuit in uersu ex Pacuuio[4]) sumpto XXVI. 35: »di monerint meliora, amentiam auerruncasint tuam«. Apud Ennium annal. 322 habes »libertatemque ut perpetuassint«, trag. 377 »qui illum di deaeque magno mactassint malo«, apud Caec. 140 »hoc a te postulo, ne

1) Ita uel potissint scribendum esse ipsa metri necessitate comprobatur: quod libri praebent possint hexametrum non explet.

2) Multae eaeque iustae extant causae, cur Hieronymo Lucilium anno 606 a. u. c. natum esse asserenti fidem abrogemus; is cum ex Suet. Tranquilli »de uiris illustribus« libro hauriret, consulum nomina confudit, unde in eum errorem illapsus est. Muell. ed. p. 289.

3) Eas terminationes uerborum I et II coniugationem sequentium per duas literas s scribi monet Neue II. 539.

4) O. Ribb. trag. lat. rel. p. 74.

cum meo gnato posthac limassis caput« et simillime apud S. Turpil. u. 112 »uerita sum, ne amoris causa cum illa limassis caput«. Hinc optime instituitur transitus ad infinitiuos in -assere exeuntes, quales tres inueniuntur XXVI. 71 depoculassere [1]) et deargentassere et ibidem 72 depeculassere [2]).

Docent uire docti [3]) tales infinitiuos descendisse ab indicatiuo in -asso exeunte; de coniunctiuo in -assim cadente antea sermo fuit. Sed tamen eos perraro occurrere nec nisi in I. coniugationis uerbis monet Neue II. 540. Impetrassere legitur apud Plaut. quater, auerruncassere apud Pacuuium.

Non superuacaneum putauerim monere Lucilium satis frequentem fuisse in e uocali pro terminatione -is uel -unt in altera persona singularis uel tertia pluralis ponenda. Ita habes III. 12 fuere. III. 35 collisere. IV. 1 iactare. VI. 6 hortare. XXVI. 14 rere. Prisca imperatiui forma, quae est face, extat XXIX. 71. Diom. I. p. 341. »corrumpuntur haec tria dumtaxat, facio fac, dico dic, duco duc, et quae ab his sunt sq. Sed facio, quod subnotauimus, si praepositionem acceperit, ad regulam redit sq. Sed apud ueteres salua est regula, qui dixerunt face dice duce«. Cfer iudicium quod Quintil. I. 6. 20. de eis literatis fecit, qui posteriore aetate eis formis usi sint.

Iam hinc transeamus ad ea uerba enumeranda, quae diuersarum coniugationum formas exhibeant. Ac maxime quidem fluctuant uerba inter II et III coniugationem: VII. 32 fulgit. XI. 1 fulgĕre. VIII. 7 abstergĕre. V. 37 abstergē. IX. 54 et 55 sequitur feruo tertiam coniugationem. Porro mentione dignum est uerbum quod est adoriri III. 71 »conturbare animum potis est quicumque adorītur« a Lucilio in tempore praesenti ex quarta coniugatione inflexum [4]).

---

1) depeculassere tradit L I, G depoculassere: Muell. scripsit depeclassere.

2) Muell. scribi uult despeculassere: argumentum quo subnixus est p. 251 sermonis Luciliani perito probabile uidebitur.

3) Maduig. opp. acad. altera p. 71. Neue II. 540. 541. Corssen. II. 559.

4) Neue II. 417.

Denique accedit saliendi uerbum, quod VIII. 12 ex tertia coniugatione inflexit noster: »sallere murenas, mercem in frigdaria ferre« Diom. I. 372. ex Varronis l. l. 5. 22. 110 et Sallust. histor. eundem infinitiuum laudat. Priscian. 10. 9. 57. p. 909 ex Sallust. in medium profert sallerent, ex Sisenna »piscium salliendorum causa«.

Restat, ut dicamus de nonnullis uerbis, quae Ciceronis aetate deponentia sunt, olim sine dubio actiua erant. Primum quidem notandum est haud pauca uerba apud scriptores ueteres pro actiuis usurpata esse, quae iam eodem tempore induerant deponentialem coniugationem postea praeualentem aut unice adhibitam [1]). Ex nostro cito I. 36 merent. XI. 9 et XV. 27 meret. XXX. 121 mereas. Pariter S. Turpil. scripsit u. 85 »meres merito ut diligare« u. 192 »utinam possim tibi referre gratiam, ut de me meres!« Inter actiuum et medium hanc differentiam intercedere monet Fronto de diff. uocab. p. 2194 «meret pretium, meretur gratiam; itaque illud uectigale, hoc honoratum est«. III. 49 uto [2]). XXVI. 22 fungo [3]). XXIX. 10 partiret, quam formam »antiquorum« propriam esse exponit Priscian. 8. 6. 29. p. 799. Ex Afranio hanc affero analogiam u. 50 »cum testamento patria partisset bona«. III. 4 legimus »uiamque degrumabis uti castris mensor facit olim«. Actiuum positum est pro deponenti, namque Enn. annal. 430 scripsit »degrumari ferrum«. Nec uero iusta subest causa, cur Vahlenius praeferat degrumare, nam haec sunt Non. diserta uerba: »grumae sunt loca media in quae directa quattuor congregantur et conueniunt uiae. Est autem gruma mensura quaedam, qua fixa uiae ad lineam derigantur, ut est agrimensorum et talium. Ennius libro XVIII. dixit degrumari ferrum. Lucilius lib. III: uiamque degrumabis, ut in castris mensor facit olim«. Etiam Neue Nonium secutus est II. 282. XXVI. 72 despeculare pro despeculari positum est. Analogiam affert ex Caelio Priscian.

1) Neue II. 269 sq.
2) Ita emendauit Muell. de forma actiua Neue II. 326 egit.
3) Neue II. 289. Henz. inscr. n. 7209.

8. 4. 19 p. 793 »ubi senatus intellexit popolum depeculari, ἀποσυλοῦσθαι«, ubi passiue id uerbum adhibitum est. Depeculari saepius habes apud Cic.[1]). Denique duo occurrunt uerba, quae Cic. aetate actiua sunt, olim deponentia: commanducari pro commanducare IV. 42 et XV. 20 et simplex manducari XIV. 13 »num hilum quid satiat, quod manducamur in ore?« Manducari antiquis tantum familiare fuisse testatur Priscianus 8. 4. 17. p. 492. Adscribimus duo exempla, quae ad Lucili fere aequales pertineant: Afran. u. 184 »facile manducari qui potest« Pompon. u. 100 »ita opertis oculis simitu manducatur ac molit[2])«. Denique huc pertinet assentiri XII. 9 »assensus sum homini«, qua de forma Varro de l. l. apud Gell. II. 25. 9 sic iudicat: »sentior nemo dicit, et id per se nihil est; adsentior tamen omnes fere dicunt. Sisenna unus adsentio in senatu dicebat, et eum postea multi secuti, neque tamen uincere consuetudinem potuerunt.«

g) de praepositionibus.

Primum pauca dicenda sunt de priscis formis endo et indu pro eo quod uulgo est in[3]). Primitiua forma est endo, quae orta est ex accusatiui forma en-do-m[4]), inuenitur in leg. duod. tab. ed. Schoell p. 172 »endo filio«, apud Lucil. seruata est XVIII. 10 »endo ferte manum«. Quamquam non licet re incerta pro argumento uti, tamen haec coniectura satis probabilis uidetur: cdd. tradunt »ergo fur dominum«. Illud ergo cum prorsus absonum esset, Carrio coniecit »endo ferto manum«, quem secutus est Neue II. 774. L. Muell. paullulum ab hac emendandi ratione discedens in textum recepit »endo ferte manum«. Denique Bergkius illud fure retinendum censens

1) Neue II. 311.
2) Neue II. 296.
3) Neue II. 774. Corssen. II. 271. Krit. nachtraege p. 134.
4) Eam originationem comprobari censet Corssen. II. 272 litera ŏ correpta et forma uocis graecae ἔν-δο-ν.

scribi uult »endo fure manum«, ita ut fure datiuus sit[1]) et uerbum, cum aetatem non tulerit, desideretur[2]). Utut res se habet, in ea re uiri docti conueniunt, quod endo scribendum existimant. Accedit, quod altero loco, ubi haec praepositio extat, membranarum consensu stabilita est: XXX. 48 omnia tum endo muco uideas feruente micare. Mutatione uocalis ĕ quae ipsa orta est ex a, in i[3]) euasit forma indŏ, quam habes apud Enn. annal. u. 73 »indo tuetur ibi lupus femina, conspicit omnis«. Quo facto uocalis o cum in u debilitata esset, extitit uox indu saepius a nostro in usum uocata, uelut XXX. 7 multis indu locis et inc. 17 iactare indu fore se omnes.

Satis notum est in uerbis compositis x literam subsequenti f assimilari solere[4]). Saepius tamen in Lucili libris inuenitur scriptura ecf, quae num prisca fortasse praepositionis forma sit, certe dubitari potest[5]). Adscribo nonnulla exempla: XXVI. 6 ecfero, XXVI. 69 praebet L I ecferret, IV. 24 ecferor, XXIX. 89 ecferimur[6]). Praeterea haec praepositio per se inuenitur: VII. 32 ec furnacibu'[7]), XXVI. 77 ec flamma[8]). XXVII. 28 ec maconis manu. XXVIII. 34 ec fenestris, aliis locis eandem habes scripturam. Alia ex aliis scriptoribus exempla multa congessit

---

1) de hac datiui forma supra exposuimus atque exempla congessimus.

2) Emendationem Bergkianam maxime arridere uni cuique concedendum est.

3) Corssen. II. 272.

4) Neue II. 766.

5) Corssenus I. 156 statuit praepositionem ec eiusdem aetatis esse atque ex, quae priscis et Augusti temporibus praeualuerit. Scriptura ecf, sicut ex libris manuscriptis cernitur, praecipue reperitur in antiquis legibus et apud priscos poetas, nec tamen aliena est a Sall. et Cic.; in inscriptionibus quod locum non habet, mirum uideri debet.

6) L I praebet haec ferimur. Saepe in optimis libris scripturam ecf. in hecf. uel haecf. uel etf. corruptam esse monet Neue II. 766.

7) cdd. exhibent »et furnacium«. Constanter Lucil. membranas et pro ec praebere obseruauit Muell. ed. p. 219, ita etiam XIV. 1 Etbatanam pro Ecbatanam.

8) et flamma cdd.

Neue II. 766 sq. L. Mueller. ed. p. 219. sub finem. Prisca praepositionis, quae uulgo est ad, forma extat ar, de qua Priscian. I. 8. 45. p. 559 ita exponit: »antiquissimi pro ad frequentissime ar ponebant, aruenas aruentores aruocatos arfines sq.« Semel occurrere uidetur apud Lucil. IX. 30, debetur Iani Dousae emendationi aeque necessariae ac probabili[1]).

Huic de praepositionibus disputationi ad finem perductae liceat mihi obseruationem quandam subiungere. Nonnumquam enim Lucili studium deprehenditur uim, quae uerbis cum praepositionibus iunctis inest, aduerbiis quibusdam additis amplificandi atque augendi. Per se patet haec aduerbia eiusmodi esse, ut significationi, quae praepositionibus exprimatur, prorsus respondeant. Exemplis allatis quae dixi magis perspectum iri spero. XI. 7 ualet ad uocabuli, quod est eicere, notionem augendam et cumulandam aduerbium foras: omnis extra castra ut stercu' foras eiecit ad unum. Eadem ratione XXVI. 69 legitur ecferres foras; similem prorsus copulationem uerborum in usum suum uocauit Ter. Phorm. V. 8. 65 uides peccatum tuum hoc esse elatum foras. Porro huc pertinet inc. 178 excludunt foras, apte conferuntur quae Plaut. mil. 81 dixit »qui autem auscultare uolet, exsurgat foras«. Simillime uox retro per pleonasmum accedit uerbis cum eo quod est re compositis: XXX. 3 retro rellicta. Analogiam reperio apud Enn. in Sotae u. 5 »ille ictu' retro reccidit in natem supinus« Pariter »porro« adiungitur uerbis cum praepositione pro compositis: V. 45 porro prodenda. VI. 27 porro procedere. Ex Afranio affero u. 74: porro autem propero.

Denique commemorauerim uno loco propositionem apud usurpatam esse, ubi ad expectetur: XXX. 66 bito apud aurificem. Qua re fatendum est Lucilium ipsius regulam a se lib. IX. frg. XXX. propositam uiolasse.

---

1) »Diuino plane inuento« iudicat Muell. ed. p. 226. De ipsa re cf. Neue II. 726.

h) de comparatione.

Primum satis notum est eorum adiectiuorum, quae exeant in -ius -eus -uus nec comparatiuum nec superlatiuum formari sed circumscriptionem institui solere per magis et maxime, exceptis eis, quae -quus terminationem habeant[1]). Quae regula semel uiolata est: XVI. 19 strenuior, eandem formam adhibuit Plaut. Epid. III. 4. 10. Similiter Cato formauit arduior et arduissimus, Varro r. r. II. 9. 16 assiduior et Suet. Aug. 71 assiduissimus. Neque a Cic. tales formae sunt alienae: Brut. 91. 316 assiduissime. Cfer. Priscian. III. 1. 7. 8. p. 600. 601. XXX. 55 formauit Lucil. comparatiuum adiectiui e graeco sermone petiti »dapsilius[2])«, multo uero audacius usurpauit inc. 62 aperte ad irrisionem Albucii ut Graeculi formam »rhetoricoteros«, comparatiuo adiectiui graeci graeco solus inter poetas latinos usus est Lucilius[3]). Deinde unum addendum est: XV. 34 legitur comparatiuus utilior, quamquam pendet ex nomine segestre, quod neutrum genus sequitur. De corruptela cogitare non licet, nam Priscian. tradit VII. 13. 69. p. 767 ueteres usque ad Valerium Antiatem masculinum comparatiui interdum pro neutro posuisse et ex ipso Antiate citat »hoc senatus consultum prior factum est«, ex Cassio Hemina »bellum Punicum posterior«, denique ex Claudio Quadrigario »prior bellum quod cum his gestum erat« et »foedus prior Pompeianum«.

Paullo fusius nobis dicendum est

i) de aduerbiis.

In uniuersum monendum est Lucilium multa exhibere aduerbia alias non usitata, imprimis in -tim et -itus formata. Res satis nota est nonnulla aduerbia, quae originem alicuius rei significent, siue ab substantiuis siue ab adiectiuis descendentia

---

1) Neue II. 112.
2) Neue II. 134. 688.
3) Muell. p. 277.

exire in -itus[1]). In omnium ore sunt funditus penitus et alia. Similiter apud Lucil. occurrit duobus locis publicitus: XII. 4. et XVI. 1. Caue tamen credas eam aduerbii formam a nostro esse inuentam, immo ex Plauto, ubi primum occurrat Amph. I. 1. 8, ab eo sumptam esse non abhorret a probabilitate. Praeterea ea uoce usi sunt Caecilius u. 185 et Titinius u. 123 »statui statuam publicitus« nec non Ennius annal. u. 189. Aliter uero iudicandum est de aduerbio primitus, quod legitur V. 29; eam uocem Lucil. in suum usum formauit, neque ullus scriptor in notitia nostra est, qui illam ante eum usurpauerit. Postea id aduerbium adhibuerunt aperte Lucil. imitati Varro r. r. I. 31. 2. Lucr. IV. 1030. Cat. XIX. 11[2]). Maior est copia aduerbiorum in -tim formatorum, quorum ea tantum in medium proferam accuratiusque tractabo, quae cum ab usu communi recedant, ad genus dicendi Lucili proprium pertineant, quam tractandi rationem me usquequaque persecutum esse occasione data profiteor. Atque haec, de quibus agitur, aduerbia plerumque ex participio perfecti passiui formata esse apte monet Neue II. 662[3]), uelut statim sensim contemptim seiunctim alia. Ex nostro cito fartim II. 14, quod primus adhibuit Lucil., occurit deinde apud Appuleium Met. II. 7, qui II saecl. p. C. n. uixit. Aduerbium minutim, quod est V. 39, iam ante Lucil. usurpauit Cato r. r. 123 et post eum Plinius h. n. 34. 18. 51. Apud Pomponium u. 166 habes »non frustilatim, nec minutatim dari«. Contra ad solum Lucil. referendum est VI. 28 zonatim, quae uox alias non occurrit; eam descendere ex substantiuo zona (ζωνή) satis liquet. Unum extat aduerbium sane tota lingua latina singulare, quod ex nomine proprio formatum est: IX. 74 zopyriatim[4]). Namque hoc uerbo eum tangi patet de quo Lucil. XXII. 9 dixit: Zopyrion labeas caedit

---

1) Neue II. 670.
2) Neue II. 670. 671.
3) Leo Meyer, zeitschr. für vergl. sprachforschung 6. p. 301 sq.
4) Restituit eam uocem ingeniose Vargesius ex eo quod exhibet L I hoc zeferiatin.

utrimque secus[1]). Vides igitur aliqua ex parte similiter eam uocem esse formatam atque supra zonatim; sed cum descendat ex nomine Zopryion, expectatur zopyrionatim. Nec tamen causa subest, cur ea in re offendamus, namque ipse Lucil. posuit inc. 57 Scipiadas pro Scipionidas et XI. 4 Scipiadae pro Scipionidae. Sed tamen uideo L. Muell. ex Isidoro ·glossema quoddam afferre, quod aduerbii illius Luciliani praebeat analogiam. Verba sunt haec: tongiliatim loqui: prauis uerbis, a Tongilio parasito sq.[2]).

Porro huc pertinent pedetemptim XXVII. 35 et inc. 125 et tolutim VIII. 13 et inc. 79, quae aduerbia etiam Plaut. aliique prisci scriptores adhibuerunt[3]). Satis notum est omnibus ubertim, quod legitur IV. 40. Prisca aduerbii facile forma fuit facul, quae semel apud nostrum occurrit VI. 3, cognoscitur in uoce »facul-tas«; facul usi sunt Pacuuius in Teucro et Attius in Meleagro, Varro in Bimarco adhibuit difficul, similiter etiam perfacul et persefacul ueteres dixerunt. Paul. p. 214[4]). Commemoranda sunt duo aduerbia in -cus exeuntia: XXVI. 77 mordicus, quod saepius prostat apud Plaut., et XXII. 9 secus. Pariter Appuleius I. 13. p. 49 uaricus in suum usum uocuit[5]). Mentio deinde facienda est duorum aduerbiorum in -o cadentium: V. 23 assiduo, quae uox praeterea legitur aput Plaut. et Plin. h. n. 26. 3. 8, alias tamen constanter assidue scriptum inuenies. Tum »clamdestino« non usurpatum inuenies nisi apud Lucil. XXVI. 68 et Plaut. mil. IV. 1. 10[6]). Adscribo nunc ea aduerbia, quae terminationem -ter exhibeant, quas formas priscorum

---

1) Mueller ed. p. 229.

2) Loewe in prodrom. corpor. glossar. lat. Lpz. 1876 p. 334 censet eam glossam ad ipsum Lucilium referendam esse, cum aduerbia in -atim satis noue formauerit. Contra Mueller. ed. p. 229 eum locum comicorum latinorum reliquiis addendum esse existimat. Sane in re tam incerta in medio relinquendum est iudicium.

3) Neue II. 669.

4) Neue II. 658.

5) Neue II. 671.

6) Neue II. 649.

potissimum poetarum proprias esse constat [1]). Satis usitatum est etiam in lingua classica firmiter, quod legitur apud Lucil. X. 2. et XII. 3. Contra ignauiter primus adhibuisse uidetur XVI. 2, cfer. Prician. XV. 3. 13 p. 1010. Denique ampliter XIII. 7 saepius prostat apud Plaut. uelut Cas. II. 8. 65 et. mil. III. 1. 163, apud Pompon. u. 54 »heus aptate, pueri, munde atque ampliter conuiuium [2])«! Duobus locis occurrit aduerbium simitu uel simeitu pro simul VII. 26 et XXX. 17, ita tamen, ut priore loco ea forma Muell. emendationi debeatur. Alibi apud dactylicos simitu non inueniri monet Muell. ed. p. 266. 15. Denique, ut hanc de aduerbiis disputationem absoluam, dicenda sunt nonnulla de aduerbiis quibusdam primitiuis, quae appellantur. Primum huc pertinet clanculum XXVII. 20, quod apud. Plaut. et Ter. aliquoties extat, serioris latinitatis scriptoribus familiaris est forma clanculo. Cfer. Diomed. I. p. 305 [3]). Prisca negationis forma, quae est noenu, XXX. 23 inuenitur; praeter hunc locum semel habes apud Varronem, quem laudat Nonius p. 143. Haud paucis scriptoribus de coniectura illata est, uelut Ennio an. u. 411, Lucr. III. 196, Plaut. mil. glor. 654 [4]). Porro huc referenda sunt aduerbia foras satis sat fere et alia multa, quae cum in usu communi sint, enumerare aeque longum atque inutile est.

Per se spectandum est aduerbium »nox«, quod magna cum audacia cum adiectiuo iunxit Lucil. III. 22: »hinc media remis Palinurum peruenio nox«. Eius nulla reperitur analogia; noctu etsi saepius cum pronomine uel adiectiuo a Plauto Afranio Ennio iunctum est [5]), tamen eis locis id unum comprobatur poetas illos non pro aduerbio sed pro substantiuo ea uoce usos esse [6]). Nox uero aduerbium est, Neue II. 677 sub finem. —

---

1) Neue II. 653.
2) Neue II. 655.
3) Neue II. 684.
4) Neue II. 682. Corssen. I. 702. adnotat.
5) Exempla congessit Neue I. 679. 680.
6) Neue II. 677.

Seruius, qui hoc quod citaui fragmentum nobis seruauit, ad aen. X. 244 haec adnotauit: »crastina lux: alii more antiquo lux pro luce accipiunt. Lucil. in tertio: hinc sq. nox pro nocte« [1]). Idem quod noster adhibuit aduerbium Ennius annal. 412 si luci si nox si mox si iam data sit frux. Ex legibus duodedim tabularum citauit Mueller. »si nox furtum faxsit, si im occisit, iure caesus esto«.

Non abs re mihi uidetur hic iam monere Lucil. uno loco aduerbium pro adiectiuo posuisse X. 3: fluctibus a uentisque aduersis firmiter essent. Satis ueri simile est nostrum analogiam quodammodo esse secutum, cum communi usu dicatur bene siue male esse. In contrariam partem XXX. 53 adiectiuum adhibitum inuenies, ubi aduerbium expectas: serus [2]) cum ec medio ludo bene potu' recessit. Qua re poetam constructionem graecam imitatum esse non abhorret a probabilitate. Simillime enim dicit Plato Protag. 316. *B. ὄρθριος ἥκεις* et Xen. anab. IV. 1. 10 *οἱ τελευταῖοι τῶν Ἑλλήνων κατέβαινον σκοταῖοι.* Nec minus alius locus, ubi praepositio pro adiectiuo posita est, constructionem graecam sapit, dico quae leguntur XXX. 27 circum oppida lustrans, circum enim oppida sunt circumiacentia. Nec tamen tales apud nostrum occurrunt loci, ubi aduerbium in ipsam adiectiui formam transit [3]), uelut apud Plaut. Asin. I. 1. 28 ex penitis faucibus et Cist. I. 1. 65 pectore penitissumo. Priscian. III. 4. 24. p. 608.

Iam nos institutus ordo ad ea exponenda deduxit, quae obseruauimus

k) de nominibus numeralibus.

Omnibus notum est in lingua classica mille pro adiectiuo usurpari solere [4]), Lucilium tamen saepius mille pro substantiuo

---

1) Leguntur ea uerba in Parisino 7929.
2) Bene Ianus Dousa pro eo quod L I praebet secus posuit serus.
3) Neue II. 686. 687.
4) Neue II. 156.

posuisse haec docent exempla: IX. 21 meile hominum. XXVIIII. 26 mille plagarum. XVIII. 2 uini mille cadum. Quae constructio saepius occurrit apud priscos poetas latinos: Plaut. Trin. II. 4. 23 mille drachmarum redditae, ibid. IV. 2. 161 illud mille nummum. Ter. Heaut. III. 3. 40 drachmarum mille dederat. Neque ab Augustea aetate is usus alienus est: Hor. Serm. II. 3. 197 mille ouium morti dedit, nec non Liu. V. 26. 5 mille fere passuum ab oppido castra locant. Alia exempla petita ex Catone, Quadrigario, Varrone, Cicerone affert Gellius I. 16, ex quo hausit Macrobius Sat. I. 5 [1]). Iam uides haec exempla omnia ita esse comparata, ut mille nomen sit indeclinabile et plerumque aut nominatiui aut accussatiui locum teneat. Itaque uni cuique mirum uideri debet, quod Lucil. duobus locis ita hac ab regula recessit, ut nominis mille, quod Gellius l. c aptissime comparat cum eo quod est in lingua graeca χιλιάς, ablatiuum milli formaret: IX. 65 tu milli nummum potes uno quaerere centum. XV. 14 hunc millei [2]) passum qui uicerit atque duobus Campanus sonipes. Ex omnibus scriptoribus latinis, qui quidem in notitiam nostram peruenerunt, unus Lucil. hunc priscum ablatiuum in suum usum conuertit. Huc spectant uerba Macrob. I. 5. 7: alibi uero etiam declinationem huius nominis executus est, nam in libro quinto decimo ita dicit sq. Simillime noster sescentum et ducentum pro accusatiuis substantiuorum generis neutri usurpauit, neque altius rem introspicientem effugiet ea nomina formata esse ad similitudinem eorum quae sunt centum ac mille. Huc spectant tres uersus: XXX. 20. quid uerost, centum ac ducentum possideas si milia. XXX. 22. Maximu' si argenti sescentum ac mille reliquid. Atque Nonium, cui hoc, ut pleraque, fragmentum debetur, insignem in modum falli patet p. 493 dicentem sescentum esse positum pro sescentorum [3]). XVIII. 1. milia ducentum frumenti tolli' medimnum. Pariter se habent haec

1) Neue II. 157.

2) cod. Bamb. Macrob. exhibet mille, ceteri milli, millei in textum recepit Muell.

3) Neue II. 155.

exempla, quae affero ne credas illum usum unius Lucili esse proprium: Varro ap. Nonium p. 149 »itaque rettulit auri pondo mille octingentum septuaginta quinque« nec non Cic. de rep. II. 22. 40 »qui aut non plus mille quingentum aeris, aut omnino nihil in suum censum praeter caput attulissent«, denique Liu. XXX. 21. 4. »ducentum et quinquaginta auri, octoginta pondo argenti in uestibulo curiae posuerunt«.

Postremo hoc unum addiderim, quod cum ab usu communi recedat, mentione dignum uideatur. Res notissima est centum ducenti »e. q. s. ita cum numeralibus inde ab unus« usque ad »centum iungi solere, ut illa his praecedant«. Quam regulam noster uiolauit III. 7 tunc Capua quinquaginta atque trecenta. Quamquam hanc collocationem uerborum e metri necessitate profectam esse multos implet numeros probabilitatis, tamen in uniuersum monendum est uel optimos scriptores illum usum haud raro neglexisse: Cic. de rep. II. 30. 52 quadraginta annis et ducentis. N. D. II. 19. 49 solis orbium quinque et sexaginta et trecentorum. Porro Liuius II. 49. 4 sex et trecenti. Denique scripsit Augustus in monumento Ancyrano III. 14 quinquaginta et ducenta [1]).

Restat, ut data occasione moneam Lucil. ex consuetudine poetarum ducentos usurpasse pro permultis: XV. 2 Polyphemu' ducentos Cyclops longu' pedes.

l) de uocibus deminutiuis, quae uocantur [2]).

Qui obiter tantum Lucili saturas perlegerit, eum satis perspexisse putauerim poetam frequentissimum deminutiuis fuisse eaque sine dubio in deliciis habuisse. Qui usus quam late pateat, ut accurate cognoscatur, mihi in animo est deminutiua uno in conspectu componere, qua in re eam rationem sequar, ut eas uoces, quas unus aut primus adhibuit

1) Neue II. 155.

2) In uniuersum de deminutiuis egit Woelfflin philol. XXXIV. 150 sq.

Lucil., asterisco ab eis distinguam, quae sunt in usu communi: I. 27 sordidulus, extat apud Plaut. Poen. 137 et Iuuenal. III. 149. III. 8 eminulus,* postea eam uocem adhibuit Varro. IV. 12 inc. 94 misellus, quod uocabulum ab omnium temporum scriptoribus usurpatum est. III. 44 pauxillus [1]. V. 25 ligneolus,* semel reperitur apud Appuleium. VII. 18. XXIX. 2 uetulus,* apud Plaut. ea uox pro substantiuo usurpata est, adiectiuum habes apud Pomponium 132, 89. VII. 33 aureolus. XVI. 16 horridulus. Porro IV. 18 puellus. V. 24. scutula. VI. 7 quaesticulus,* Cic. de diuin. II. 14. 34 [2]. VII. 15 auricula, ibid. uermiculus. VIII. 3 labellis, Laber. 39. IX. 68 rutellum.* IX. 71 barbula. XV. 3 bacillum, Afran. 224. XVI. 8 austellos.* XXIX. 5 muliercula. XXII. 4 sacculus. XXVII. 25 seruoli. XXX. 41 culcitulae* ab uno Lucilio adhibitum est, Plaut. Most. IV. 2. 14 utitur deminutiui forma culcitella. XXX. 58 discerniculum.* inc. 33 tesserulae,* Cic. de orat. III. 43. 171. inc. 67 nucula,* Plin. XV. 87. inc. frg. 49 canalicula,* qua de uoce haec affert Nonius 198, 5 »canalis maculino -feminino Lucil. ὑποκοριστικῶς canaliculam dixit«. Eadem forma usi sunt Varro d. r. r. 3. 5. 14, Gellius XVII. 112. inc. 45 crustulum,* Hor. sat. I. 1. 25. XXVIII. 30 armillum,* Varro ap. Non. 547. 13 et Appul. met. 6. 22 et 9. 29 id uocabulum in suum usum post Lucil. conuerterunt. Ex uoce deminutiua peniculus, quae descendit ex penis, formatum est XIX. 6 peniculamentum; Enn. ann. 363, Caecil. com. 132, Arnob. V. 1. Denique huc pertinet pasceolus XIII. 14, descendit ex uerbo graeco φάσκωλος, inflexum igitur uides externum uocabulum ad similitudinem deminutiui latini; simillime Augustus ex uoce graeca, quae est βάκηλος, formauit baceolum [3]. Ceterum pasceolus priscis scriptoribus satis familiare est. Pariter statuendum nobis uidetur de uoce »pessulus« IV. 34,

---

1) Ritschl. opusc. II. 250.

2) Haud paucas occurrere uoces monuerim, quae praeter Lucil. apud unum Ciceronem reperiantur Lucili saturas in deliciis habentem.

3) Muell. ed. p. 234.

quae descendit ex uocabulo graeco *πάσσαλος*. Pessullus inuenitur apud Plaut. Curc. 147, Ter. Eun. III. 5. 55. Heaut. II. 3. 37.

m) de compositionis arte Luciliana.

Vidimus igitur nonnullas uoces a Lucilio in ipsius usum esse formatas atque, ut mihi uidetur, eadem animi sagacitate atque audacia, qua aliis nouam significationem attribuit, qua de re infra dicam, ubi de tropis sermo erit. Etiam aduerbia nonnulla poetam nostrum primum adhibuisse suo loco demonstrauimus. Itaque cum ad uerborum compositionem institutus ordo nos deduxerit, reliquas uoces in medium proferamus, quas unus aut primus adhibuit poeta quibusque linguae fines dilatare conatus est.

Primum quidem huc pertinent multae uoces e graeco sermone in latinum translatae [1]). De ipsa illa uexatissima quaestione, quatenus et quo iure Lucil. latinis graecas uoces interposuerit, hic non locus est dicendi. Nos iam exempla enotemus [2]): XVII. 5 praebent membranae acoetin, Muell. scribi uult *ἄκοιτιν* Iun. secutus, sed cur ita faciat librorum consensum parui existimans rationem non perspicio. Acoetis ex omnibus scriptoribus latinis unus Lucil. in suum usum uocauit, aperte uerba illa petita sunt ex Odysseae lib. IX. u. 266: »*Ἀλκμήνην ἴδον Ἀμφιτρύωνος ἄκοιτιν*. III. 14 *αἰγίλιποι* [3]): »*αἰγίλιποι* montes, Aetnae omnes, asperi Athones«. Monendum est graecis scriptoribus formam, quae est *αἰγίλιπες* et tertiam declinationem sequitur, esse usitatam: Iliad. II. 633, V. 15, X. 15. — I. 25 alochoeo [4]), petita sunt haec uerba ex Iliad. XIV. 317 »*οὐδ ὁποτ' ἠρασάμην Ἰξιονίης ἀλόχοιο*. I. 28. amphitapoe, cdd. exhibent amphitapae,

---

1) de hac re egerunt Bouterwek philol. XXXII. 691 sq. et Fischer in dissertatione supra citata p. 15 sq.

2) Sequar ordinem a Bouterw. institutum.

3) cdd. exhibent *αιΓιψποι*, *αἰπιλιποι*, *αιπιλιποι*.

4) libri exhibent peruerse alcholocheo.

sed alterius declinationis formam reponendam esse suo iure docet Muell. ed. p. 197. Eadem uoce usus est Varro sat. Men. frg. 253, deinde Ulpian. dig. XXXIV. 2. 24. Descendit ex uoce graeca ἀμφιτάπης, de adiectiuo ἀμφίταπος cfer. Athen. V. 197. a. — VI. 17 ancarius, quod uocabulum satis audacter formauit Lucil., cum graece nisi ἄγγαρος non dicatur, Xen. Cyr. VIII. 6. 17; Suidas sub uerbo. XXX. 77 androgyni, quo de uocabulo reicio ad Baehr. comm. ad Herodot. IV. 67. XXXVIII. 4. ἀρχαῖς, de sententia huius uocis egit Muell. ed. p. 255. IX. 60 archetypa, quo uerbo post Lucil. usi sunt Varro Iuuenalis Martialis Plinius. IX. 72 arthriticus, unus Cicero ex scriptoribus latinis praeter Lucil. eo adiectiuo usus est ep. ad Fam. IX. 23, substantiuum arthritis habes apud Vitruu. I. 6. 3. — I. 41 arutaena[1]): Paul. diac. 21. arutaenam siue artenam uas ab hauriendo sic appellabant. Charis. 118. 29. — V. 13 τεχνίον, libri Gellii praebent »atexnon«, unde Scaliger praeclare illud deminutiuum restituit. Occurrit haec uox apud Plat. rep. VI. 495 d., Cass. Dion. 63, 27, Sueton. Neron. c. 40. Cfer Steph. lex. — XXVIII. 15 atomus sequitur quartam declinationem, graece cum constanter ἄτομος dicatur, atomos expectamus, quae forma usus est Cic. Fin. I. 6. — inc. 149 atticon graece iuflexum est. IX. 29 cacosyntheton, qua uoce postea grammatici saepius usi sunt, uelut Charisius 271. 22: »cacosyntheton est indecens structura uerborum talis, ut uersaque iuuencum terga fatigamus hasta.« In lexicis graecis adiectiuum tantum κακοσύνθετος reperies, substantiuum frustra quaeres. — XXIX. 119 cataplasma occurrit apud Theophrastum et Vegetium. — III. 43 catapeiraten; Sang. exhibet catoporatem, cataportem Guelf., cataportantem m. 2, cataparatem Mon. Sine dubio Lachm. (u. 1021) et Muell. ex his librorum lectionibus ueram uocem eruerunt catapeiraten scribentes; quamquam Graeci καταπειρατήν ignorant et nouerunt tantum καταπειρατῆρα, tamen ex Muell. sententia[2]) illa forma neque ratione neque probabilitate destituitur. — I. 35 cephalaea

---

1) Reliqua quomodo restituenda sint exponere non huius loci est.
2) Muell. ed. 205, 32.

occurrit semel apud Plin. h. n. 20. 13. 51, graece dicitur *κεφαλαία*. — inc. 80 cercupithecon saepius habes apud Plinium nec non Iuuenalem, forma graeca *κερκοπίθηκος* usus est Strabo XV. 699. — II. 26 chirodyti praeclare atque ingeniose restituit Muell. ex hrodyty, quod exhibet L I, Bamb. praebet hrodeti, hyodyty G. Lachm. lectionem corruptam ac sensu cassam hyodyty in textum recepit. Non dissimilis est uox graeca *χειριδωτός* (manicatus), quam adhibuit Herod. VII. 61. — I. 43 cleinopodas sunt pedes lecti:

porro cleinopodas lychnosque, ut diximu' *σεμνῶς*,
anti 'pedes lecti' atque 'lucernas' – ⏑⏑ – ⏑.

de graeca uoce *κλινόπους* cfer. etymol. magn. p. 425, 28. Apud latinos poetas non reperitur, sed Plin. h. n. 24. 15. 87 narrat plantam quandam uocatam esse clinopodion. De consilio, quo Lucil. illos uersus composuerit, exponit Muell. ed. 198, 37. — inc. 166 cyma (*κῦμα* apud Galenum) sequitur neutrum genus, alias uelut apud Plinium femininum. — XXVIII. 15 eidola Homero satis familiare est; eodem atque a nostro sensu ea uox adhibita est a Cic. ep. ad. fam. XV. 16. § 1. 2. — inc. 97 empleuron significat »bonis lateribus praeditam«. Semel hoc adiectiuum reperitur in Geopon; uerbum *ἐμπλευροῦν* »in die seiten stossen« habes apud Soph. frg. 50, d. — IX. 45 enthymema est uox rhetoribus satis familiaris, Arist. rhet. II. 22. Quintil. V. 14. 24. — XXIX. 16 epiteugma restituit apte L. Mueller, cui adstipulatur O. Ribbeck mus. rhen. nou. ser. 29. p. 122; cdd. exhibent uarias lectiones: epiteoma G, epitegma L I, epigma B., epitagma Gen. Aliquoties hac uoce usus est Diodorus Siculus, uelut XVI. 105; Diog. Laert. VIII. 57 *τὰ περὶ τὴν ποιητικὴν ἐπιτεύγματα*. — XVII. 3. eupatereiam [1]) petitum est ex Odyss. lib. XI. u. 235 *Τυρὼ ἴδον εὐπατέρειαν*. — Item ex Homero sumptum est euplocamos XXX. 58: cfer. Iliad. XI. 624. XVIII. 48. Odyss. V. 490. VII. 41. XX. 80. — I. 16

---

1) cdd. exhibent *εὐπατέρειαν*, sed eupatereiam scribendum esse ipsa ratione metrica comprobatur. Haupt. phil. I. 163.

gangrena, cui uoci confert Mueller. uerba Varronis »quo facilius animaduertatur per omnes articulos populi hanc mali gangrenam sanguinulentam permeasse«, uox γάγγραινα tropice de adulatione adhibita est in nou. test. — inc. 33 lexeis, Cic. de orat. III. 43. 171, Quint. inst. or. IX. 4. 113. — III. 44 mataxa uel metaxa, namque utraque forma bene se habet, ex Stephani glossemate 137 significat σιρά eademque significatione nisi apud Vitruuium non usurpatum inuenies. — XXX. 77 moechocinaedus significat eum, qui et adulter est (μοιχός) et scortum masculum (κίναιδος): hanc uocem Lucil. composuit nec quisquam uel antea uel postea adhibuit; partes tamen, quibus formata est, satis notae fuerunt Plauto[1]) et Terentio et apud ipsum Lucil. locum habent: inc. 72 moechum scire uolo. I. 31 stulte saltatum te inter uenisse cinaedos. inc. 58 otei deliciis, Luci, efficiae atque cinaedo et sq. — II. 20 et XXVII. 39 monogrammus[2]), cuius adiectiui uim sic explicat Nonius 37, 11 »monogrammi dicti sunt homines macie pertenues ac decolores; tractum a pictura, quae prius quam coloribus corporatur umbra fingitur«. Cic. hoc uocabulo usus est de nat. deor. II. 23. 59. — XXX. 44 oxyodontes restituit Scalig. ex librorum corrupta lectione ixiodontes; habes adiectiuum ὀξυόδους in Bekkeri anecdot. graec. 442. — XV. 32 praebent libri Noniani poeticon. Muell. coniecit poleticon, quod est semel dictum apud Plat. Soph. 224 d. Lectionem traditam aptiorem sensum efficere quam Muellerianam sagaciter exposuit O. Keller[3]). — XV. 17 praebent cdd. postomide, Salmasius, cui adstipulatur Muell. ed. 238, emendauit pro stomide et pro corrupta lectione postomis posuit stomis. Non. 22, 25: stomis dicitur ferrum, quod ad cohibendam equorum tenaciam naribus uel morsui imponitur, graece ἀπὸ τοῦ

1) Plaut. mil. III. 1. 74 tum ad saltandum non cinaedus malacus aequest atque ego.

2) Monuerim L I praebere monogramo geminatione omissa, Muell. per duas literas m illud nomen scripsit ut diu ciuitatem romanam adeptum.

3) neue jahrb. f. phil. 109. p. 274 sq.

στόματος. Lucil. lib. XV. truleu' pro stomide huic ingens de naribu' pendet. — V. 28 propola saepius extat apud scriptores latinos, uelut Cic.; uerbum προπωλεῖν habes apud Plat. legg. XII. 954. a. — VIII. 4 psolocopumae debetur Iuni emendationi, nec tamen in lingua graeca occurrit. Non. libri praebent p. 260 »ipsolocopomas«, p. 308 G »ΩΛΟΚΟΠΟΥΜΗ«, B »via o ΚΟΣΙΟΥΜΗ«. L I »via ΩΛΟΚΟΠΟΥΜΗ«. Sine dubio emendatio illa, cum proxime ad traditarum literarum ductus accedat, poetae manum restituit et editorum assensum tulit. In suum usum Lucil. hanc uocem composuisse liquet: qualis sententia ei subesse putanda sit, cernitur ex duabus partibus, unde formata est. — inc. 55 schedium, cuius uocis uim exposuit Paulus 335 »schedia genus nauigii inconditum, id est trabibus tantum inter se nexis factum, unde mala poemata schedia appellantur«. Post Lucil. ea uoce usi sunt Petronius Appuleius Ausonius. — Verbum κοπιᾶν, quod significat »laborare fastidire lassari«, Lucilio reddidit Lachm. u. 1047. Liber G. exhibet eratscopios, L I eratscopiose, unde hanc lectionem eruit: »ubi erat Kopioses sq.«, ita ut sit gen. sing. fem. part. praes. act. Mueller. scribit »ubi erat κοπιῶσα«. Utramque emendandi rationem habere quo commendetur sane statuendum est. — XXVIII. 6 stoechia; quattuor elementis »tellure aqua aere aethere« naturam rerum constare dixit Empedocles. Muell. ed. p. 255. Xen. mem. II. 1. 1: »ἀρξάμενοι ἀπὸ τῆς τροφῆς ὥσπερ ἀπὸ τῶν στοιχείων«. — XXVI. 33 zetematium est quaestiuncula: »si quod uerbum inusitatum aut zetematium offenderam«. ζητημάτιον habes apud Libanium, alias haec uox non reperitur. — XXVIII. 38 apepsia est cruditas, quod uocabulum a latinis scriptoribus praeter nostrum non adhibitum est, satis usitatum tamen Galeno.

Quibus accedunt aliae nonnullae uoces e graeco sermone in latinum translatae, quae post Lucil. magis in usum communem uenisse uideantur: herpesticus significat »serpens« uel »edax« I. 16, eodem sensu Aristot. histor. animal. I. 1. ἑρπυστικά (ζῷα) adhibuit. — II. 8 cercera scil. febris, descendit ex uerbo καρκαίρω (Il. XX. 570) »zittern« (kaltes fieber, so dass man

zittert). cdd. exhibent corruptam lectionem cetera. — III. 25 peloris, qua uoce saepius utitur Hor. — III. 37 carchesia etiam prostat apud Verg. aen. V. 87 et Vitr. X. 10. 5. Non. 546, 20 »carchesia genera poculorum, alias summa pars mali id est foramina quae summo mali funes recipiunt«. — III. 45 prymnesius quod uocabulum Lucilio sit tribuendum necne, cum certa desint testimonia, diiudicari nequit. Muell. cur in textum receperit, sic exponit: »haec cum finem hexametri efficiant, propter uocabulum graecum Lucilio quam Ennio tribuere maluimus et sunt, ni fallor, ex lib. III.« Hoc argumeutum minime firmum est, cum Ennius graecas uoces et ipse haud raro in suum usum uocauerit. Itaque iudicium in medio est relinquendum, Pauli uerba sunt haec (224): »prymnesius palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tonsillam dicunt«. III. 51 oenophoris etiam ab Hor. S. I. 6. 109 et Pers. V. 140 et Iuuen. VI. 426 et VII. 11 usurpatum est, ita ut ea uox saturarum scriptorum propria uideatur. *οἰνοφόρον* (scil. *σκεῦος*) habes apud Herodian. VIII. 4. 9. — IX. 2 soloecismon, de qua uoce exposuit Gellius V. 20. 3 sq., occurrit apud auct. ad Herenn. IV. 12. 17 et Iuuen. VI. 456. — IX. 71 parectatoi, quam uocem Bouterw. omittere non debuit. Non. 67, 11 »parectatoi qui de pueritia ueniunt ad pubertatem, a graeco uocabulum sumptum. Lucil. lib. IX.« — Minus huc pertinet placentas XIII. 11, namque ea uoce iam Cato usus est. — XXVII. 38 malta, Non. 37, 7 »maltas ueteres molles adpellari uoluerunt, a graeco quasi *μαλθακούς*«. — Denique uocem scholen XXVIII. 14, quam posteriore tempore in omnium ore fuisse constat, ut afferam, ipsius Lucili additamento »quam dicunt« moueor, namque inde sequitur illud uocabulum poetae aequalibus nondum satis familiare fuisse.

Ex aliorum populorum linguis hae uoces sunt translatae: inc. 97 mamphula est ex Syriaco sermone sumptum: Festus p. 142 »mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, ut ait Verrius, in clibano antequam percoquatur, decidit in carbones cineremque, cuius meminit Lucil. sq.« VI. 15 musimo est uocabulum Sardum, Non. 137. 22 »musimones asini, muli aut

equi breues«. Graece *μιούσμων* dicebatur, quod Romanos iniecta i et producta o ori latino adaptasse monet Muell. ed. p. 215. — XXX. 106 uox blennus uidetur e Sicula comoedia esse translata; Paul. 35 »blennos stultos esse Plautus indicat«. Inc. 106 sollo, Festus 298 »sollo osce dicitur id quod nos totum uocamus«. — Inc. 162 subulo tibicen uocatus est lingua Tusca, eadem uoce ante Lucil. usus est Ennius Sat. 41 »subulo quondam marinas propter adstabat plagas«. — inc. 95 uox mantisa, qua postea unus Petronius usus est, ita tamen, ut transferret notionem, ex lingua Tusca originem traxit secundum Paulum 172: »mantisa additamentum dicitur lingua Tusca, quod ponderi adicitur, sed deterius et sine ullo usu est«.

Addendae mihi sunt nonnullae uoces compositae, quae cum semel tantum occurrant ex Lucili arte fingendi sine dubio sint profectae: XV. 24 Syrophoenix, qua uoce is significatur, qui pariter Syrorum nequitiam ac uilitatem et Phoenicum auaritiam et perfidiam exhibeat. Apte confert Muell. p. 238. 11 uocem Aristophanis *βυρσοπαφλαγόνα* quam comicus adhibuit, ut in Cleone simul Paphlagonum stupiditatem et coriariorum inurbanitatem inesse demonstraret. XXVII. 27 similiter composuit uocem cibicida aperte ex eo quod est cibus et caedo, bene comparatur uocabulum graecum *σιτοφάγος*. Ironice illud uocabulum de seruis Lucil. dixisse toto frg. comparet. — inc. 162 pullipremo i. e. qui pullos i. e. pueros premit, unde dea Prema dicta est, cfer Augustin. C. D. 6. 9. 3. Seruata est ea uox Luciliana apud Auson. epigr. 70. 7. 8:

peruersae ueneris postico uulnere fossor,
Lucili uatis subulo pullipremo.

Haec cum sint diserta Auson. uerba, iniuria Lachm. uerba quae. sunt subulo pullipremo omisisse existimandus est. — Ex adiectiuis compositis haec affero: XXVI. 41 contemnificus, quod uerbum irridere uidetur Lucil. Muell. ed. p. 248. Idem cadit in adiectiuum monstrificabilis XXVI. 50, similiter Pacuuius formauit luctificabilis, quod Persius Sat. I. 78. irridet. — VII. 4 cortinipotens compositum est ex cortina, quod tropice tripodem Apollinis significat, et adiectiuo potens.•

Porro ad unum Lucilium haec uocabula simplicia sunt referenda: inc. 163 mando: »atque omnes mandonum gulae«, quem uersum imitatus est Varro in Bimarco: »magno uti tremiscat Roma et magnae mandonum gulae«. Non. 17, 13 »manducones qui manduci dicti sunt; et mandones edaces«. — inc. 39 tama, cuius uocis uim sic explicat Festus 360: »tama dicitur, cum labore uiae sanguis in crura descendit et tumorem facit« inc. 50. XXVIII. 44 catillo, Macrob. sat. III. 16. 17 »sed et Lucilius acer et uiolentus poeta ostendit scire se hunc piscem egregii saporis qui inter duos pontes captus esset eumque quasi ligurritorem catillonem appellat, scilicet qui proxime ripas stercus insectaretur«. XXIX. 1. deletio cfer. Non. 97, 4. Ribb. frgg. trag. rom. p. 273. Denique uerba nonnulla adscribimus: IV. 43 obtursi, obturgesco occurrit apud Lucr. VI. 658. — VIII. 20 lentet; Macrob. excerpta Bobiensia gr. lat. V. 650 »lentesco a uerbo lentet, Lucil. sq., sed lenteo sine usu est.« Muell. ed. p. 221, 16. — XXVI. 72 decalauticare, quod significat »uelamine priuare«, descendit ex substantiuo calautica quod extat apud Afran. 37 »cum mithris calauticis.« inc. 54 inbubinat: Paul. 32 »bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinare.« ibid. inbulbitare: Paulus 32 »est puerili stercore inquinare, dictum ex fimo, quod Graeci appellant *βολβίτιον*«. IX. 62 amptruet et redamptruet: Festus 270 »redantruare dicitur in Saliorum exultationibus, cum praesul amptruauit quod est motus edidit et ei referuntur inuicem idem motus«. — VI. 16 heiulitabit: Varro d. l. l. VII. 103 »multa ab animalium uocibus tralata in homines, partim quae sunt aperta, partim obscura. perspicua ut — Lucili haec — heiulitabit«. Denique a Lucilio uno adhibitum est »secubitare« XXVI. 93, secubare tamen habes apud Prop. II. 25. 5 et Appul. met. 2. p. 123, 31 et substantiuum secubitus apud Cat. 64, 381 et Ouid. am. III. 10. 16 et 43.

Ex his exemplis uno in conspectu propositis accurate cognosci puto uerborum compositionem non minimam esse partem artis Lucilianae. Quatenus uero linguae fines noster dilatauerit,

eis ex uocibus uidere licet, quas primus usurpauit et posteriores scriptores imitati in usum uocarunt.

Iam eas quaestiones, quae ad formalem huius dissertatiunculae partem spectant, ad finem perduximus. Sed tamen priusquam ad syntaxin transeamus, restat, ut de alliterationis apud Lucil. usu disputemus. Quamquam de ea iam supra, ubi de re metrica sermo erat, exponere debuimus, tamen cum latissime pateat, eam satis dignam existimamus, quae separate tractetur.

n) de alliteratione.

De alliteratione, qua usi sunt poetae Catullo priores, in uniuersum exposuit L. Muell. d. r. m. p. 427 sq. Separate de alliterationis apud Lucil. usu egit Ios. Stowasser in dissertatione, cui inscripsit »der hexameter des Lucil.« p. 11—13. Extat in programmate cui est titulus »jahresbericht des k. k. staatsgymnasiums im IX. bezirke in Wien für das schuljahr 1879/80.«

Alliterationem eo effici constat, ut plura uocabula ab eadem litera incipiant. Hic concentus unius siue plurium literarum in mediis quoque uocibus nonnumquam suum locum habet. Qua orationis figura sensu paria aut contraria uelut sonorum uinculo iugari solent. Atque in Germanorum quidem poesi uetere solum fuit uinculum uersuum, apud Romanos omni tempore ob gratum sonum uel ludribii causa adhibita est alliteratio. Iudicium quod de priscis poetis tulit L. Mueller. p. 453 media »unde plerumque immodico amore talium ludibriorum ad ineptias sunt delapsi ueteres«, id non omni ex parte cadit in Lucilium. Qui etsi nonnumquam nimium alliterationis studium exhibet, tamen nusquam uersum composuit, qui consimilis sit Enniani illius »o Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti«; plerumque multo aliter multoque elegantius alliteratio adhibita est a Lucilio, ut depingat certas quasdam condiciones, nec non ut aut grauitatem aut amoenitatem addat

uersui, id quod optime efficit par literarum sonus. His in uniuersum praemissis ad singula transeamus.

Primum quidem monuerim eos non esse audiendos, qui casu et libidine alliterationem prouenisse statuant. Immo hoc demonstrare conabor, cuius rei Stowasserum satis firmum fundamentum posuisse arbitror, ubicumque apud Lucil. alliteratio occurrat, ibi certo quodam consilio eam poetam adhibuisse. Qua in re eam rationem optime sequimur, ut primum proponamus ea exempla, quae cum ad artem rhetoricam spectent, ad ipsum metrum nihil faciant, deinde ea, quae priorem et posteriorem uersus partem inter se connectant atque coniungant.

Atque ad priorem partem primum ea exempla referenda sunt, quae ad uersus initium pertineant: I. 31 *s*tul*t*e *s*al*t*a*t*um *t*e. I. 36 et *m*ercede *m*erent. I. 34 *p*orro cleino*p*odas. II. 12 *c*eteri in *c*apulo. II. 14 ut *l*urcaretur *l*ardum. II. 19 *p*estem *p*ermitiemque. II. 21 si *n*atibus *n*atricem. III. 7 conmoda tun*c* *C*apua. III. 8 *b*roncu' *B*ouillanu'. III. 15 *p*ascali *p*ecore. III. 30 *f*eruenti *f*erro. III. 44 *p*lumbi *p*auxillum. III. 55 *p*erminxi im*p*osuique. IV. 39 esse *t*amen *t*enero. V. 26 *f*iscina *f*allaci. V. 29 *p*rotulit et *p*retio. V. 36 *c*ustodem *c*lassis. V. 35 *p*ostquam *p*raesidium. VII. 25 *m*uginamur *m*olimur. VIII. 8 a *l*aeua *l*acrimas. VIII. 13 ut *p*ueri *p*lures. VIII. 14 *p*u*p*illi *p*ueri. Nec tamen opus est exempla exemplis cumulare: ad priorem partem etiam ea trahenda sunt, quae ad exitum uersus pertineant. Quae si percensemus, facile obseruamus permulta ita esse comparata, ut ultimae arsis atque paenultimae extet concentus: IV. 40 *s*úmine *s*í'dat. VIII. 1 *p*éctore *p*úro. VIII. 5 *p*éctore *p*éctus. V. 29 *p*rí'mitu' *p*áucos. V. 41 *u*í'uite *u*éntres. XVII. 12 uéndi' La*u*érnae. XX. 9 *m*áximu' *m*últo. XXX. 123 *p*árcere *p*óssint. Deinde nonnulla exempla eiusmodi sunt, ut concinat quinta arsis cum altera syllaba quintae thesis: III. 64 *p*árte *p*rofudit. V. 18 *p*áni' *p*otitur. V. 40 *n*ócti' *n*igrore. VI. 35 *r*éque *r*esistit. VIII. 2 *l*ábra *l*abellis. VIII. 11 *c*élla *c*ulina. XII. 10 *f*rátre *f*uisset. XV. 33 *s*éruo' *s*egestre. XXX. 1 *c*laústra *C*amenae. XXX. 59 *d*éque *d*icata. XXX. 104 *c*ástra *c*luebat. XXX. 130 *p*ósse *p*utare.

inc. 12 *p*ri'ma *p*utare. — Denique alliteratio ita se potest habere, ut quarta quintaue thesis concentum exhibeat cum sexta arsi, qui alliterationis usus longe saepissime uidetur occurrere: II. 21 *c*rassam ét *c*apitátam. II. 24 *p*enetráre *p*ilósam. V. 6 *m*agnó *m*eróre *m*etúque (concinit III thesis cum IV et V) V. 23 *c*epáriu' *c*épa. V. 32 *m*antéla *m*erúmque. V. 35 *c*astri's edúcere *c*réuit. VI. 27 *p*orró *p*rocédere *p*órcent (concentus tertiae quartaeue thesis cum VI. arsi) VII. 32 *f*urnácibu' *f*érrum. VIII. 12 *f*rigdária *f*érre. XIII. 5 *c*urtóque *c*ati'no. XXX. 54 *m*ortálibu' *m*órbum. inc. 16 *p*o*p*ulúsque *p*atrésque. inc. 52 *m*uréxque *m*ari'nus.

Iam institutus ordo nos ad alteram partem deduxit, quae ea complectitur exempla, quae ita ad metrum spectent, ut concentus hemistichium alterum cum altero arte connectat atque coniungat. Quam iuncturam a poeta nostro certo quodam consilio usquequaque adhibitam esse ex eis, quae propositurus sum, puto elucere. Primum alliteratio eiusmodi esse potest, ut utriusque hemistichii initium concentum exhibeat:

I. 5 *u*ellem concilio *u*ostrum quod dicitis olim.
I. 37 *m*unu' tamen fungi et *m*uros seruare potissint.
III. 55 *p*erminxi inposuique *p*udendam pellibu' labem.
III. 67 *tu* partem laudis caperes *tu* gaudia mecum.
IV. 37 *c*oncursare et apros *c*atulos fetumque ferai.
V. 9 *q*uando in eo numero mansti *q*uo in maxima nunc est.
VIII. 11 *p*istrinum adpositum *p*osticum cella culina.

Deinde alliteratio ita potest esse comparata, ut utriusque hemistichii media uox exhibeat concentum, cuius generis pauciora extant exempla:

XV. 2 monstra *p*utant; *q*uorum in primis *P*olyphemu' ducentos.
XV. 4 quam *m*alus nauis in corbita *m*aximus ulla.
XV. 23 nummo *t*ertiu' iam plurest quam *t*otu' medimnus.
VII. 19 uxorem *c*aedam potius quam *c*astrem egomet me.
VII. 32 primum *f*ulgit uti caldum ec *f*urnacibu' ferrum.

Tertium genus alliterationis inde existit, quod hemistichiorum postrema uerba ab eisdem literis initium capiunt:

I. 1 Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus.
I. 8 uellem cum primis fieri si forte potesset.
III. 59 Tantalu' qui poenas ob facta nefantia pendit.
IV. 45 hi prae se portant ingentes munere pisces.
V. 1 macte inquam uirtute simulque his uersibus esto.
XXX. 1 quoi sua conmittunt mortali claustra Camenae.

Quartum genus inde euadit, quod alterius hemistichii postremum uerbum concinit cum primo alterius:

I. 23 Hymnidis ex facie florem delegeri' pulchra.
III. 31 manthica cantheri costas grauitate premebat.
IV. 15 Aeserninu' fuit Flaccorum munere quidam.
IV. 32 longior hic quam grus grege concita cum uolat olim.
VIII. 12 sallere murenas mercem in frigdaria ferre.

Cui formae ea contraria est, quae inde proficiscatur, quod prioris hemistichii primum uerbum concinit cum posterioris ultimo, ita tamen, ut nonnumquam etiam cum quinta arsi compareat concentus:

I. 29 uoltus item ut facies mors icteru' morbu' uenenum.
II. 12 ceteri item, in capulo hunc non esse aliumque cubare.
IV. 26 Samnis in ludo ac rudibus cuiuis satis asper.
V. 41 uiuite lurcones comedones uiuite uentres.
VI. 9 tres a Deucalione grabati restibu' tenti.
inc. 1 uirtus Albeine est pretium persoluere uerum.
XXIX. 114 paulisper comedent iam haec sese ut polypus ipsa.
XXVIII. 61 tantae se emporiis merces et faenera tollent.

Sextum genus aut ita comparatum est, ut in utroque hemistichio bina uerba eundem praebeant concentum, aut ita, ut et in hac et in illa uersus parte concentus eodem ordine sit institutus, aut ita, ut ea figura existat, quae uulgo chiasmus appellatur. Quae proposuimus et perspiciuntur et comprobantur exemplis allatis; atque I generi haec adnumeranda sunt:

III. 55 perminxi inposuique pudendam pellibu' labem.
V. 29 protulit et pretio ingenti dad primitu' paucos,

qui uersus Stowassero afferendi erant, ut comprobaret nonnumquam in utroque hemistichio una eademque litera concentum effici, quamquam talem alliterationem satis raro locum habere fatendum est.

II generi hos adscripserim uersus:

XV. 15 *C*ampanus *s*onipes suc*c*ussor nullu' *s*equetur.
VI. 11 si *n*osti, non *m*agnus homost *n*asutu' *m*acellus.
In III denique genus hi cadunt uersus:
X. 2 *f*luctibus a *u*entisque ad*u*ersis *f*irmiter essent.
inc. 66 *S*eruandi *N*umeri *n*umerum ut *s*eruemu' modumque.
XII. 3 *f*irmiter hoc *p*ariterque tuo sit *p*ectore *f*ixum.

Satis est haec exempla attulisse ex magna multitudine passim per omnes saturas extantium: elucet non inter ineptias referendum esse alliterationis apud Lucil. usum, immo cum, quaecunque extant exempla, apte in certas quasdam diuidendi ac disponendi rationes quadrent eisque bene supponi possint, nobis non modeste coniciendum, sed pro certo statuendum uidetur poetam nostrum usquequaque exceptis eis exemplis, quae ad priorem partem pertineant, consilio ac dedita opera in usum suum conuertisse.

Paucis uerbis mihi agendum est de ea figura, quae alliterationi est contraria

o) de homoeoteleutis.

Muell. ea de re exposuit d. r. m. p. 455—460.

Primum cum inter antiquorum et neotericorum rimorum rationes ea intercesserit differentia, quod hi ad uersus connectendos eis usi sunt in metris, illi ut sensus copularent, saepe fit, ut uerba grammatico uinculo iuncta eundem exitum praebeant. Cuius rei frequens genus est id, quod efficitur uocabulo substantiuo et adiectiuo eandem declinandi rationem sequentibus:

II. 13 nam quid Moetino subrect*o*que huic opu' signo.
II. 24 – ⏑⏑ – ⏑⏑ in bulg*am* penetrare pilos*am*.
III. 3 moenia, tum Liparas, Phacelin*ae* templa Dian*ae*.
III. 33 succusatoris, taetr*i* tardique caball*i*.
III. 57 cernuos extemplo plant*as* conuestit honest*as*.
III. 53 et pedibus laeu*a* Sicyoni*a* demit honest*a*.

Iam his exemplis uides uoces parem sonum praebentes insignibus uersuum locis esse collocatas. Saepe eundem sonum exhibent syllabae finales substantiuorum aut uerborum coordinatorum:

I. 18 infamam ueit*am* turpemque odisse popin*am*.
III. 51 uertitur oenophor*is* fundus, sententia nob*is*.
XXVII. 7 iam, qua tempestate uiu*o*, chresin ad me recipi*o*.
XXVII. 54 rerum exploratorem mitt*am*, miserum mendicum pet*am*.
XXIX. 43 cum ipsi in lutum descend*ant*, cum alios detrah*ant*.

Haud raro inueniuntur uersus, in quibus non una tantum syllaba in eundem sonum terminatur, in quem exit finis uersus, sed duae uel plures:

II. 27 non laudare homin*em* qu*em*quam neque mu facere in qu*em*.
III. 7 conmod*a*, tunc Capu*a* quinquagint*a* atque trecent*a*.

Nonnulla extant exempla, quibus Lucilium eos, qui nimis homoeoteleutis delectarentur, irridere uoluisse habet multos numeros probabilitatis:

inc. 39 *nos* esse arquat*os*? surg*amus*, e*amus*, ag*amus*!
VII. 12 rad*or* subuell*or* desquam*or* pumic*or* orn*or*.
III. 60 spars*is* hast*is* long*is* campus splend*et et* horr*et*.

Quod si recte statuimus, ex his exemplis colligendum non est Lucil. ipsum homoeoteleuta nimis adamasse.

Homoeoteleuta in uersibus inter se sequentibus rarissime occurrunt. In fine duorum uersuum idem comparet sonus:

IV. 38. 39 quod sin ulla potest mulier tam corpore dur*o*
esse, tamen, tenero manat quoi sucu' lacer*to*.
IX. 39. 40 disticha, epistula item quaeuis non magna, poem*ast*
illa; poesis opus totum, ut tota Ilias un*ast*.

XV. 7. 8 ut pueri infantes credunt signa omnia ahe*na*
uiuere et esse homines: sic istic omnia fic*ta*.

Sed uix est quod moneam nos omnino non hanc quaestionem, quatenus Lucil. in finibus uersuum inter se sequentium homoeoteleutis usus sit, ad finem perducere posse, cum perpauci uersus perpetui aetatem tulerint. Atque id ex hac disputatione, quamuis paucis uerbis instituta sit, elucere existimauerim in nostri saturis homoeoteleuta eiusmodi esse, ut non ubique par sonus uideatur fortuitus, sed plerumque ab eo consilio quaesitus. Id si uerum est, pertinet ad genus dicendi, ad quod eas potissimum formas referendas esse censeo, quas quis consilio ac dedita opera composuerit atque conscripserit.

II.

Quaestiones Lucilianae ad syntaxin pertinentes.

Primum nobis agendum est

a) de asyndetis.

Asyndeton est forma breuiloquentiae, quae constat in omittenda coniunctione, imprimis copulatiua, inter singulas partes enuntiationis [1]). Lucili saturas qui obiter tantum inspexerit, is statim nostrum asyndetis frequentissimum fuisse animaduertet. Cuius rei quae sit causa statuenda, si quaeris, in duabus potissimum rebus eam latere putauerim, quarum alteram inopiam metri esse alteram in studio satiricorum positam existimo ad quotidianum sermonem accedendi, id quod cumulatis nominibus siue uerbis efficiebant. Caue igitur credas talia poetae nostri esse propria, immo satis constat, quam frequentes omnes fere antiqui auctores asyndetis fuerint. Idem tamen ab insequentibus praeter satiricos plane fuit alienum, atque ultimis demum temporibus auctores aemulatione uetustissimorum ducti ad eundem usum redierunt. His praemissis qualia apud nostrum sint asyndeta uideamus et primum dicamus

α) de asyndetis quae uocantur enumeratiuis.

Primum quidem saepissime nomina coniunctione omissa inter se adiunguntur, id quod praecipue cadit in enumerationes

1) Draeger, hist. synt. der lat. spr. II. p. 190 sq. ed. II. Lips. 1881.

uel descriptiones aliqua ex parte neglegenter compositas. Huc referenda sunt haec fere exempla: II. 26 chirodyti aurati, ricae, thoracia, mitrae. III. 2. 3 freta Messanae, Regina uidebis moenia, tum Liparas, Phacelinae templa Dianae. Quos uersus ad Lucili itineris descriptionem certe neglegenter institutam spectare patet. V. 36 custodem classis, catapultas, tela, sareisas. VI. 11 non magnus homost, nasutu', macellus. VIII. 11 pistrinum adpositum, posticum, cella, culina. XI. 1 conuentus pulcher, bracae, saga fulgere, torques induti magni. Eo enim uersu gallicum quendam conuentum describi manifestum est. XV. 36 spiras, pallam, redimicula promit; enumerantur res, quibus coniuges sese ornare solent. XVII. 4 uerrucam, naeuom, dictum. XXVI. 44. 45 hic cruciatur fame, frigore, inluuie, inperfundie, inbalnitie, incuria; hoc uersu poeta sine dubio abundantiam asyndetorum improbat, neque enim usquam alibi talem frequentiam reperies. XXVI. 70 cribrum in cerniculum, lucem in laternam, in telam licium. XXIX. 87 et circumuolitant ficellae, turdi, curati cocis, quod asyndeton conuiuium satis eleganter describere mihi uidetur. XXX. 41 gerdius, ancillae, pueri, zonariu' textor. Eam enumerationem satis prope ad pedestrem sermonem accedere uix quemquam fugiet. XXX. 66 bito apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam: enarrantur a nupta occasiones adulterum uisendi. Denique huc pertinet inc. 78 praefractam strigilim, soleam inprobu' dimidiatam. Nec minus saepe quam substantiua sine coniunctione posita inuenies adiectiua, cuius usus unum exemplum attulisse satis erit: X. 4 inprobu', confidens, nequam, malus ut uideatur.

Verbis multo rarius asyndeta enumeratiua effici monet Draeg. II. 198, γ. eamque rem comprobat exemplis ex omnium aetatum auctoribus sumptis. Apud nostrum tamen etiam talia asyndeta satis multa occurrunt, qua re fit, ut ab eis scriptoribus, qui ipso et priores et posteriores fuerunt, discrepet. Quae proposui ut comprobem, haec citauerim exempla: VI. 24 cum bulga cenat, dormit, lauit. VII. 12 rador, subuellor, desquamor, pumicor, ornor, expolior, pingor. VII. 25 muginamur molimur

subducimur. XXIX. 25 coniugat communicat. Simillimus est uersus Ennianus trag. 26. interea mortales inter sese pugnant proeliant. XXIX. 69 hic me ubi uidit, subblanditur, palpatur, caput scabit, pedes legit: asyndeton ortum est ex uariarum rerum enumeratione. inc. 93 intereunt, labuntur, eunt rursum omnia uorsum.

β) asyndeta, quae appellantur rhetorica.

Quamquam Draeg. p. 210 dubitat, num peculiare genus asyndetorum rhetoricorum sit statuendum, tamen tot asyndeta apud nostrum ex consilio quodam rhetorice scribendi sunt explicanda, ut ea per se ac separate tractemus necesse uideatur. Hac ea potissimum exempla reuocauerim, quibus notio quae subsequitur continet gradationem eius quae praecessit, tum ea quibus aliquid celerrime fieri significatur. Nos iam singulos uersus enotemus: V. 41 »uiuite lurcones, comedones, uiuite uentres«, quae uerba ad prius genus referenda esse uix est quod moneam, namque haec est gradatio: lurcones — comedones — uentres; et cur habeant uim rhetoricam, non difficile est ad intellegendum, cum in luxuriae aequalium castigatione posita fuisse satis appareat. XV. 12 nam arcesit febris, senium, uomitum, pus. XXVII. 40 ardum, miserum, atrum adque infelix. XXIX. 17 fauitorum tibi me, amicum, amatorem putes; simillimum asyndeton adhibuit Ter. And. IV. 2. 2 summum bonum esse erae putaui hunc Pamphilum, amicum, amatorem, uirum in quouis loco paratum, quamquam hoc exemplum propter ultima uerba inde a »uirum« usque ad »paratum« potius ad asyndeta summatiua retulerim. XXIX. 47 caede ostium, Gnato! urguent, instant! periimus. Haec uerba ad alterum genus pertinere nemo non uidet; bene eis confert Muell. uerba Cic. ex fragm. orationis pro L. Vareno sumpta: in inimicissima ciuitate urgent instant insequuntur. Ad idem genus referendus est uersus XXX. 39 nos esse arquatos? surgamus, eamus, agamus! Ita ut statuamus, ipsa quaestionis forma suadet, qua de re infra accuratius exponemus.

γ) de asyndetis, quae uulgo uocantur aduersatiuis.

Minus frequens quam asyndeton copulatiuum est aduersatiuum [1]). Ex Plauto hoc affero exemplum Pseud. 329 »nolo uictumas; minimis me extis placari uolo«. Saepe eiusmodi asyndeta in Cic. orationibus occurrunt, neque id mirum est, namque multum faciunt ad uim rhetoricam augendam. Qualis sit apud nostrum eorum usus, ex his exemplis cognoscitur: III. 27 »nam mel regionibus illis incrustatu' calix, rutai caulis habetur«. Hoc esse asyndeton sane elegantissimum neminem fugere puto. XIV. 23 »ipse ecu' non formonsu', gradarius, optimu' uector«. Nos recte ita esse interpretatos ipso insequenti frgm. luculenter comprobatur; apparet enim sensum esse hunc: equus etsi non formosus est, tamen est gradarius et optimus uector. XV. 35 »cum tecumst, quiduis satis est; uisuri alieni sint homines, spiras, pallam, redimicula promit«. Rectissime adnotat Mueller. his uerbis tangi morem mulierum hospitibus potius quam coniugibus se ornandi. Apparet igitur duo illa enuntiata ita inter se cohaerere, ut interpretemur: coniugi mulier magnifice sese ornare non solet, sed si alii homines adsunt, libentissime id facit. XXVI. 8 »porro amicist bene praecipere, Tusci bene praedicere«, quae uerba ita circumscribere possumus, ut dicamus: amici quidem est bona praecepta edere, sed haruspicis uere uaticinari.

δ) de asyndetis explicatiuis quae uocantur.

Eius breuiloquentiae formae perpauca uestigia deprehendi apud uetustos scriptores monet Draeg. [2]) et unum exemplum ex Catone, duo ex Plauto in medium profert. Nonnulla tamen apud nostrum reperire mihi uideor: I. 29 »uoltus item ut facies: mors, icteru', morbu', uenenum«. Ita statuendum esse ipsa

1) Draeg. II. 202.
2) Draeg. II. 203, § 361.

interpunctione Muell. recte indicauit, idem adnotat ed. p. 197 »describitur homo admodum deformis quem adspicienti mors et reliqua quae memorantur mala eueniant.« VI. 24 »cum bulga cenat, dormit, lauit: omnis in unast spes homini bulga.« XVII. 6 »Ledam ipsam denique nolo dicere: tute uide atque disyllabon elige quoduis. »XXVI. 88. 89« homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque aerumnam offerunt. ducunt uxores, producunt, quibus haec faueant, liberos«. Vides hoc fragmento Lucil. excusare, quod a matrimonio abhorreat, atque satis liquet in altero uersu positam esse causam uel explicationem eorum, quae priore proposuit poeta suam quemque fingere fortunam. Quo fit, ut nam uel enim uel tale quid addere possimus sensus illustrandi causa [1]). XXVIII. 10« habes omnem rem, timeo ne accuser,« quocum uersu comparat Mueller. Terentianum »habes omnem rem: pergam quo coepi« (Hec I. 2. 119).

ε) de asyndetis summatiuis quae appellantur.

Eorum uis in eo posita est, ut aut unum uerbum aut totum enuntiatum singulas notiones, quae praecesserunt, aut ordinem sententiarum summatim ac breuiter complectatur [2]). Apud nostrum quae occurrunt exempla spectant maximam partem ad alterum genus in totis sententiis positum: VII. 31 tristes, difficiles sumu', fastidimu' bonorum. XIV. 20 lucifugus, nebulo, id genu' sane. XXVIII. 58. 59 omnia uescatis manibus leget, omnia sumet, crede mihi. presse ut dicam, res auferet omnis. Vides ipsa uerba »presse ut dicam« indicare eos uersus huc referendos esse. inc. 135 nondum etiam, qui haec omnia habebit, formonsus, diues, liber, rex solu' feretur. Liquet uoce, quae est rex, comprehendi notiones praecedentes: formonsus diues liber. Perbene conferuntur Horatii illa, quae leguntur

---

1) Apparet post uocem »offerunt« aptius punctum duplex quam simplex poni.

2) Draeg. II. 206 sq.

ep. I. 1. 106 sq. »sapiens uno minor est Joue, diues, liber, honoratus, pulcher, rex denique regum«.

ζ) de asyndetis disiunctiuis.

Draeg. II. 205 affert exemplum ex Cicerone petitum ad Quint. fr. III. 8. 4. uelit nolit scire difficile est. Omnibus apud nostrum exemplis circumspectis unum reperio, quod tale asyndeton exhibere uideatur: XXVII. 10 ceterum quid sit, quid non sit, ferre aequo animo ac fortiter. Simillimus est uersus Plaut. Trin. 994 ceterum qui sis, qui non sis, floccum non interduim; quae uerba Draeg. afferenda erant.

Postremo id unum addiderim asyndeti sollemnis, de quo agit Draeg. p. 190 sq., apud Lucil. nullum extare exemplum.

Iam cum in breuiloquentiam inciderit disputatio, fortasse e re est pauca subiungere

b) de ellipsi.

Apud Plaut. et Ter. comicos, quippe quorum comoediae uersentur in sermone familiari, saepe uerba dicendi et sentiendi esse omissa nemo ignorat. Neque id mirum est, namque talia fert usus uitae communis et quotidianae. Apud Lucil. uerbi substantiui formae complures sunt omissae, nullum tamen inuenies exemplum, quo uerbum dicendi sentiendi mouendi agendi desideretur, quod apud Plaut. Ter. Cat. saepissime deest [1]). Ac Cicero quidem etsi in epistolis satis audax uidetur in ellipsibus usurpandis, tamen in uniuersum eis satis caute abstinuit et plerumque in dictis prouerbialibus uel in sententiis generalibus, quae prope ad illa accedant, in usum suum eas conuertit, ut unum exemplum notissimum afferam: off. I. 10 summum ius summa iniuria. Atque haec quae de Cicerone proposuimus nisi ad uerbum »esse« non pertinere per se patet. Multo latius patet usus uerbi auxiliaris omissi apud Lucil.

---

1) Draeg. I. 197, Holtze synt. prisc. script. lat. II. 21.

Formam »est« omissam reperies his locis: III. 42 funis enim praecisu' cito atque anguina soluta. IV. 23 nec longius quicquam nobis. VIII. 2 quod puero similis. XI. 3 huc ubi concessum pellesque ut in ordine tentae. XV. 2 quorum imprimis Polyphemu' ducentos Cyclops longu' pedes, et porro huic maiu' bacillum sq., ubi formam »est« bis supplendam esse uides. XXII. 1 seruo' neque infidus domino neque inutili' quoiquam, Lucili columella, hic situ' Metrophanes. Simillima est ellipsis in epitaphio L. Cornelii Cn. f. Cn. n. Scipionis »is hic situs quei nunquam uictus est uirtutei.« XXX. 10 et saeuo ac duro in bello multo optimus hostis. XXX. 79 quanto blandior haec, tanto uementiu' mordet. Formam »sunt« bis tantum omissam uideo: XXX. 110 hic ut muscipulae tentae et I. 13 haec ubi dicta, dedit pausam ore loquendi. Potius enim illud dedit ad ea quae sequuntur retulerim. Eandem ellipsin adhibuit Verg. aen. I. 81 haec ubi dicta, cauum conuersa cuspide montem impulit in latus. Uno loco mente addendus est coniunctiuus »sint«: XXVII. 45 nescis, ubi Graeci, ubi nunc Socratici charti? cuius usus apud alium scriptorem uix analogiam inuenias. Saepissime supplendus est infinitiuus »esse«: XVI. 1 multa homines portenta in Homeri uersibu' ficta monstra putant. XVII. 8 nupturum te nempe negas. XXVI. 11 quid cauendum tibi censeres, quid uitandum maxime. XXVI. 46 uestimentis frigus atque horrorem exacturum putat. XXVII. 51 at quod animum induxit semel et utile omnino putat. XXIX. 71 ac si potes, face dignam me ut uobis putem. Iam apparere existimo exempla a me allata ita esse comparata, ut nullo modo ex librariorum fraude uel sensibus imperfectis explicari possint. Immo de hac ellipsi eodem prorsus modo iudicauerim atque de ea, qua comici frequentes sunt; opinor enim non minus apud Lucil. ellipsin uerbi auxiliaris ortam esse ex usu uitae communis et imitatione sermonis quotidiani. Atque cum eam persaepe in poetae nostri reliquiis occurrere accurate cognouerimus, eius aliqua ex parte propriam esse nobis statuendum erit [1]).

1) Huc pertinet copiosa de ea re disputatio Ritsch. proll. ad Trin. p. 109—114.

Ellipsin pronominis reflexiui se inprimis frequentem esse in constructione accusatiui cum infinitiuo monet Draeg.[1]), ita tamen, ut in prisca latinitate raro inueniatur, saepissime inde a Liui aetate. Paucissima enim eiusmodi exempla praebent Plautus et Cato; eo magis mirum uidetur, quod Lucilio, cuius Draeg. rationem non habuit, ea ellipsis usitatissima est. Quod quam uere dictum sit, ex his locis cognoscitur: VI. 2 peccare inpune rati sunt posse et nobilitate facul propellere iniquos. VII. 8 fore amicum polliceatur. XVI. 6 rex Cotus ille duo hos uentos, austrum atque aquilonem, nouisse aiebat solos, sed demagis istos ex nimbo austellos nec nosse nec esse putare; hoc frg. subiectum bis omissum habes. XXVI. 46 uestimentis frigus atque horrorem exacturum putat. XXVI. 87 idcirco omnes euasuros censent aegritudinem. XXX. 107 sperans aetatem in eandem haec proferre potesse et mansum ex ore daturum. Unum habes exemplum pronominis te eadem lege omissi: XXIX. 26 tu qui iram indulges nimis, manus a muliere abstinere melius est; nec tamen usquam me uel eum per ellipsin omissum reperies. De aliis ellipsis generibus alio loco dicam.

c) de uerborum usu.

Reliquias Lucili qui accuratius perlegerit, eum non fugiet saepe illum antiquorum scriptorum more simplicia uerba adhibuisse, quae Ciceronis aetate constanter cum praepositione iunguntur. Eius usus nonnulla uestigia deprehenduntur apud Plaut. et Cat., aliena fere uidentur a Cicerone eiusque aequalibus, permulta sunt inde a Taciti aetate. Ex nostro haec cito exempla: V. 35 creuit pro decreuit. V. 9. XI. 3. XXX. 110 tenti pro extenti. Simillime positum est X. 3 et XXX. 40 aptas pro adaptas[2]). VIII. 4 ficta pro inficta: labra labellis ficta arte conpono. Apparet illud participium non a fingendo, sed figendo

1) II. 440. § 454.

2) Errat Nonius illud aptas adiectiuum esse existimans. 234, 31 »aptum rursum connexum et coiugatum significat«. Aperte uerbum est.

descendere. Eadem ratione usurpauit uerbum simplex Lucr. III. 3 inque tuis nunc ficta pedum pono pressis uestigia signis. XII. 3 fixum pro infixum: firmiter hoc pariterque tuo sit pectore fixum. XXVIII. 18 cesseris pro decesseris uel recesseris: si hinc aliquo cesseris. XXIX. 7 signat pro designat. XXIX. 86 laturam pro inlaturam: aetatem istuc tibi laturam bellum, si hoc bellum putas. XXX. 4 ferri pro efferri: et sola ex multis nunc nostra poemata ferri. Apparet enim ferri per eminentiam adhibitum esse pro laudibus efferri. XXX. 6 dicasset pro indicasset. XXX. 18 temnere pro contemnere: quodque adeo fuerint, qui te temsere superbei; eadem uoce simplici usi sunt Hor. et Verg. XXX. 21 seruare pro obseruare. Denique XXX. 113 ruere pro eruere: ruis haec et colligis omnia furtim?

Quod si quaeris, quanam causa ductus Lucil. simplicia adamasse uideatur, haud raro metri necessitate eum coactum esse facile conicere possumus. Nec praetermittam, quod uno loco uerbum compositum prostat, ubi Cic. aetate constanter simplex ponitur. Legitur enim XXIX. 28 aduocasse pro uocasse: amicos hodie cum inprobo illo audiuimus Lucilio aduocasse. Ita ut ab usu communi recederet, eadem prorsus causa uidetur ductus esse, ob quam simplicia potius quam composita adhibebat.

Nonnumquam participia nonnulla perfecti passiui a uerbis actiuis eisque intransitiuis formata sunt significatione adiectiua. Spectat huc loquendi formula »sol occasus«, quam Lucil. II. 29 in usum suum uocauit: quae horis sublata duabus omnia sunt sole occaso obductoque. Extat etiam in legg. XII. tabb. frg. I. 9 et inuenitur aliquoties apud Plaut. Men. II. 3. 82: tum facito ante solem occasum ut uenias aduorsum mihi et V. 7. 33 nam absque ted esset, numquam hodie ad solem occasum uiuerem. Eadem ratione XXVI. 49 adhibitum est participium flacitus[1]): coniugem infidamque, flacitam familiam, inpuram

1) cdd. Noniani exhibent flaticam familiam, Muell. optime emendauit flacitam, cfer ed. p. 248 et d. r. m. 360. Minus arridet coniectura Duebneriana »pathicam«.

domum. Sequitur, ut moneam nonnumquam deponentia passiua significatione usurpari, cuius usus duo praebet noster exempla: inc. 130, quod Draeg. I. 157 afferre neglexit: a me auxiliatust. Priscian. 791 et 927 »Lucilius auxilior auxiliatus *βοηθήσας καὶ βοηθηθείς«* inc. 174 quin amplexetur qui uolt, ego non sinam me amplectier. Similia praebent Cato Ennius Plautus. Unum prostat uerbum intransitiuum, quod uim transitiuam induit: XXX. 113 ruis haec. Pariter Plaut. saepius uerbum surgendi transitiue usurpat[1]). Apud nostrum nonnulla uerba actiua forma inueniri, quibus posterior linguae aetas formam deponentialem induerit, iam supra, ubi de formis sermo erat, exposui et exempla adscripsi.

d) de temporibus quibusdam et modis.

1) praesens historicum aut per se ponitur aut pendens ex compluribus particulis, imprimis temporis uelut: dum postquam quom quando ubi quoniam[2]). Prioris usus haec cito ex nostro exempla: XXIX. 53 cohibet domi maestus se, Albinus repudium quod filiae remisit. XXIX. 56 tum illud *ἐπιφωνεῖ*, quod etiamnum nobilest. IV. 41 adsequitur neque opinantem. in caput insilit, ipsum conmanducatur totum complexu' comestque. IV. 29 subicit huic soldum, fulmentas quattuor addit. III. 60 sparsis hastis longis campus splendet et horret. Alteri generi haec fere adscribenda sunt exempla: VII. 20 hanc ubi uolt male habere sq. VI. 21 siccam atque abstemiam ubi audit XXVI. 5 ego ubi quem ex praecordiis ecfero uersum. VIII. 5 cum latu' componit lateri et cum pectore pectus. XIII. 1 acribus inter se cum armis confligere cernit. Sed quid exempla exemplis cumulo? Satis hac ex collectione unus quisque cognoscit poetam nostrum praesenti historico saepe usum esse eaque re descriptiones elegantes et ualde uiuidas, ut mihi uidetur, effecisse. Id unum addiderim te apud nostrum uix

---

1) Draeg. I. 142.
2) Draeg. I. 230 et II. 585.

usquam locum reperturum esse, ubi in eodem orationis tenore perfectum et praesens historicum inter se uarient atque permutentur; id enim et in comicos et in alios scriptores posteriores cadere docet Draeg. I. 230 media fere.

2) de infinitiuo historico egit Draeg. I. 329, nec tamen, ut solet, Lucili rationem habuit: eo magis e re est hic exempla colligere ac disponere. Eum usum poetae nostri non peculiarem esse uix est quod moneam, quippe qui pariter cadat in comicos atque in historicos; sed inter illos et nostrum ea intercedit differentia, quod illi ex neglegentia quadam scribendi infinitiuum historicum usurparunt, noster, ut describeret facta uel res celeriter inter se excipientes. Satis constat huius infinitiui id proprium esse, ut subiectum semper maneat immutabile neque unquam, ut in constructione accusatiui cum infinitiuo, in accusatiuum conuertatur. Nos iam enotemus exempla: VIIII. 7 a laeua lacrimas muttoni abstergere amica. XVI. 13 pellicula extrema exaptum pendere onus ingens. XXVI. 40 ego enim contemnificus fieri et fastidire Agamemnonis. Quae de ui ac natura infinitiui historici supra proposui cum aliis locis tum hoc comprobantur: inc. 15 nunc uero a mane ad noctem, festo atque profesto, toto itidem pariterque die populusque patresque iactare indu foro se omnes, decedere nusquam, uni se adque eidem studio omnes dedere et arti: uerba dare ut caute possint, pugnare dolose; blanditia certare [1]) bonum simulare uirum se; insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes. Summa sane atque admirabili arte scribendi his in uersibus infinitiuum historicum Lucil. saepius in usum suum conuertit, namque eum aptissime ad sensum quadrare quis est quem fugiat? Poetam, qui talia composuerit, eorum, qui philologiae operam dent, et ueneratione et studiis dignissimum existimauerim. Postremo hoc exemplum addendum est: inc. 48 fingere praeterea, adferri quod quisque uolebat.

---

1) Hunc infinitiuum et qui sequantur potius historicos esse quam ex possint pendere statuerim.

3) Restat, ut ea, quae de reliquo usu infinitiui mentione digna uideantur, paucis uerbis complectar. Notum est infinitiuum saepe consilium exprimere, imprimis post uerba motum significantia, ubi plerumque pro infinitiuo supinum in — um desinens ponitur; apud nostrum etiam post uerbum »dare« habet suum locum V. 34 ne da bibere ab summo. Simillime dixit Cato r. r. c. 89 bis in die farciat et meridie bibere dato, nec minus Ter. Andr. III. 2. 24 quod iussi ei dari bibere et quandum imperaui, date; Titin. 73 date illi biber, iracunda haec est [1]). Eum usum a lingua classica adhorrere constat et Draeg. dubitat, utrum potius ex usu graeco an ex sermone archaico eoque uulgari sit explicandus. Liberior est infinitiui usus et certe ex graeca dicendi ratione originem traxisse putandus, si pendet ex adiectiuo. Huc duos locos refero: III. 71 conturbare animum potis est quicumque adoritur, qua de dicendi forma iam supra uberius egi. Pari ratione scripsit Plaut. frg. Cist. p. 477 potin' es tu homo facinus facere strenuum et Enn. ann. 336 bellum tolerare potentes. Deinde huc spectat loquendi formula »soluere nulli lentus« XI. 17, quam Draeg. II. 371 nullo modo omittere debuit. Pariter Plaut. Trin. 76 adiectiuum, quod est aegrotus, coniunxit cum infinitiuo. Posterioris aetatis poetas uelut Horatium Silium eius usus fines longe dilatasse nemo ignorat. Sequitur, ut duo enumerem uerba, quae Lucil. cum accusatiuo et infinitiuo iunxit, linguae classicae auctores constanter per ut cum coniunctiuo construunt. XXVIII. 22 Hymnis, sine eugio accipi me ac destina [2]). inc. 131 purpureamque unam facit albam pampinum habere. Ita scripsit Enn. ann. 480 »cum soles tandem faciunt langescere.« Plura eiusmodi exempla diligenter collegit ac disposuit Draeg. II. 321 sq. Unde apparet eam structuram praecipue cadere in priscos et posterioris aetatis scriptores uelut Tacitum et alios; originem uero aperte duxit ex graeca loquendi consuetudine.

---

1) Draeg. II. 367 sq.

2) accipi me est Muelleri additamentum.

4) Deinde infinitiuum in exclamationibus et interrogationibus mirantium uel indignantium nonnumquam positum esse docent loci ex omnium fere aetatum scriptoribus petiti[1]. Ille infinitiuus non explicandus est, ut monet Draeg., ex ellipsi, sed ex ipsa natura infinitiui, qui nihil nisi cogitationem exprimat. Lucil. praebet duo exempla, quorum alterum ad exclamationem, ad quaestionem alterum spectat. XIV. 6 non paucis malle a sapientibus esse probatum ἦ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν! XXX. 39 nos esse arquatos? surgamus, eamus, agamus! Eandem orationis concitatae formam exhibet Enn. »nos esse arquatos!« Alia exempla praebent Plaut. Ter. Cat. Cic., perpauca Liu. Verg. Hor.

5) Quoniam oratio in infinitiuum incidit, aliquid huic loco inserere mihi liceat, quod quamquam ad formas pertinet, tamen occasio aberat antea pertractandi. Etenim duobus locis apud nostrum occurrit participium futuri actiui omisso uerbo auxiliari »esse« positum pro infinitiuo, ita, ut quamquam de genere feminino dictum est, tamen habeat formam in -um exeuntem. XVII. 8 nupturum te nempe negas quod uiuere Ulixem speras. XXX. 107 sperans aetatem in eandem haec proferre potesse et mansum ex ore daturum. Apparet enim priore loco sermonem esse de Penelope in fide erga Ulixem permanente, altero de nutrice quadam, quae alumna iam adulta familiarius ut olim uti se posse putat. Nec tamen ea forma Lucili propria est, namque permulti scriptores prisci ea usi sunt. Ita in Cat. origg. habes: illi polliciti sese facturum omnia, ubi pluralis expectatur. Plura exempla ex Plauti, C. Gracchi, Claudi Quadrigarii, Valerii Antiatis libris petita collegit Gellius I. 7. 1—15. Ac ne a Cicerone quidem ea forma aliena fuisse uidetur, namque l. c. sub finem haec in medium profert Gellius: »sicuti M. Cicero futurum dixit non uirili genere neque neutro -soloecismus enim plane foret -sed uerbo usus est ab omni necessitate generum absoluto«. Facile igitur inde concludere

---

1) Ea de re egerunt Draeg. I. 332 et II. 437, Lachm. comm. Lucr. p. 74, obiter eum usum tetegit Muell. d. r. m. 438 sq.

licet infinitiuum priscis temporibus fuisse indeclinabilem, nec tamen eam formam Ciceronis aetate prorsus e lingua euanuisse.

6) His pauca subiungere mihi liceat, quae de perfecto consuetudinis, quod uocatur, apud nostrum obseruaui. Quamquam enim Draeg. I. 253 illud perfectum apud priscos scriptores occurrere negat atque etiam a Caesare et Liuio prorsus alienum esse affirmat, tamen apud nostrum illius usus uestigia uel maxime perspicua deprehendi praeter uiri doctissimi auctoritatem contenderim. Quod quam uere dictum sit ex his exemplis intellegitur: V. 28 sicut, cum primos ficos propola recentis protulit et pretio ingenti dad[1]) primitu' paucos. VIII. 15 gallinaceu' cum uictor se gallus honeste sustulit in digitos primoresque erigit unguis. Lucilium, quippe qui alias saepe graecam exprimendi rationem secutus sit, non minus in his uersibus aoristum gnomicum, qui appellatur, imitari studuisse omnes implet numeros probabilitatis. Accedit, quod utroque loco illud perfectum in comparationibus suum locum habet, in quibus praecipue occurrere et concedit Draeg. et exemplis maximam partem e Verg. sumptis demonstrat. Atque Homerum quidem aoristo gnomico imprimis in comparationibus usum esse omnibus notum est, quamobrem coniecerim Lucil. eis locis illum ipsum Graecorum poetam imitari uoluisse. Quae proposui eo fulciuntur, quod permultis aliis locis nostrum Homeri uestigia quam accuratissime expressisse manifestum est, sed altius in eam quaestionem inquirere non huius loci est: utique rem ita sese habere puto, ut Draegeri de tempore sententia, quo primum illud perfectum in lucem prodierit, aliqua ex parte retractanda uideatur.

7) Restat, ut moneam semel apud nostrum infinitiuum praedicati locum tenere in ea enuntiatione, in qua infinitiuus ipse subiectum sit. Etenim VI. 1 haec leguntur: saluere iubere

---

1) praesens tempus haud raro perfectum consuetudinis sequitur: Verg. Aen. V. 145, corripuere, ruuntque. u. 147 concussere — pendent.

salutem est mittere amico. Talia exempla raro occurrere docet Draeg. II. 366 nec tamen hunc Lucili uersum in suum usum uocauit. Analogiam praebet Cato r. r. praef. est interdum praestare mercaturis rem quaerere. Similiter dicit. Cic Tusc. V. 38. 111 »erudito, cui uiuere est cogitare«. Infinitiuum, si subiecti locum teneat, proxime ad graecum sermonem accedere liquet, secundum quem bene dicitur: τὸ χαίρειν κελεύειν ἐστὶν ἀσπασμὸν πέμπειν τῷ φίλῳ. Nonnumquam infinitiuum pro obiecto positum inuenies, uelut XXX. 2 quantum haurire animus musarum ec fontibu' gestit. Saepissime uero infinitiuus tenet praedicati locum in ea enuntiatione, in qua subiectum substantiuum sit: inc. 1 sq. uirtus est persoluere — scirei — scire — persoluere posse — dare sq.

8) de imperatiuo accurate exposuit Draeg. I. 324 sq. Discrimen, quod plerique grammatici constituunt inter imperatiuum praesentis et futuri in -to desinentem, satis notum est: illo, quae certe est simplicior ac prior forma, postulatur, ut semel fiat quod imperatur, hoc ut iterum atque saepius. Nonnumquam ambae imperatiui formae in una enuntiatione coniunctae reperiuntur: XXIX. 48 coicito te intro ac bono animo es. XVII. 10 si non it, capito, inquit, eum, et si caluatur, endo ferte manum. Adscribo Plaut. uerba Merc. IV. 4. 30 »cras petito: dabitur, nunc abi«. Sed in altero exemplo Luciliano aliam quandam rem inesse uideo, in qua quis possit offendere, uides enim numerum esse mutatum: capito — ferte. Analogiam exhibet Propertius: V. 5. 75 caedito — addite; Priap. 48. 1. 3 quod uidetis — mihi crede; Grat. 55. 56 uel oppande — uel reponite. Negatio accedit ad utramque imperatiui formam ne, uelut V. 34 ne da bibere. Sed usitata ac nota est ratio imperatiuum per noli uel tale quid circumscribendi: XXX. 130 nolito tibi me maledicere posse putare; circumscribuntur etiam per face: XXIX. 71 perge, amabo, ac si potes, face dignam me ut uobis putem. Lucilius quod ut coniunctionem posuit, et a priscorum et posteriorum scribendi consuetudine recedit, quippe qui eam omittere solumque coniunctiuum ponere soleant. Ex Catone cito: r. r. c. 18 superiorem partem arborum

digitos sex altam facito siet; ex Cicerone Rosc. Am. 27, 74 et simul tibi in mentem ueniat facito. Saepe apud comicos uis, quae in imperatiuo inest, augetur particula quin[1]), numquam tamen apud nostrum, quippe qui illam particulam constanter cum coniunctiuo adhortatiuo coniungat: XIV. 8 quin potius uitam degas sedatu' quietam. XXX. 75 quin totum purges, deuellas me atque deuras; exultes et sollicites.

e) de interrogationum usu.

Apud archaicos scriptores saepenumero interrogationes rectas poni, ubi obliquas expectes, constat. Atque Draeg. I. 333 sq. docet eum usum, qui apud Plaut. et Ter. latissime pateat, deriuandum esse ex uiuido, quod in eorum comoediis extet, sermocinandi genere. Qui usus, quamquam ne a Cicerone quidem alienus est, apud nostrum locum habere non uidetur, etenim constanter coniunctiuum adhibet, ut puta V. 39 dic quaenam cogat uis ire minutim et VI. 5 quid ipsum me facere optes. Saepe apud nostrum sine ulla nota interrogationes reperiuntur, id est uocabulo quod interrogationem exprimit, siue id est pronomen siue aduerbium siue particula interrogatiua[2]). Atque talium interrogationum triplex potissimum genus est discernendum: ad primum pertinent eae interrogationes, ubi is qui interrogat sciscitatur id quod nescit uel certe quod nescire se adhuc simulat[3]). Huc retulerim haec fere exempla: XIII. 10 idem epulo cibus atque epulai Iouis omnipotentis? XXVII. 45 nescis ubi Graeci, ubi nunc Socratici charti? Plura exempla spectant ad alterum genus, ubi is qui interrogat admirationem uel indignationem uel irrisionem uel reprehensionem eius quem interrogat uult exprimere, quas interrogationes rhetoricas appellare solemus. Draeg. I. 335 eas complectitur nomine »die fragen des affects«. Quo pertinent haec exempla: XXVII. 22 ego enim a, perficiam, ut me amore

1) Holtze I. 33.
2) Draeg. I. 335.
3) Holtze II. 237—242.

expediam? XXVI. 38 depugnabunt pro te ipsi et morientur ac se ultro offerent? quae uerba certe huc pertinent, cum satis sit probabile hoc frg. cum duobus sequentibus sumptum esse ex tragoedia, cuius argumentum ex primo potissimum et altero Iliadis libro sit petitum. Etenim aperte sunt, ut rectissime monet Muell. ed. p. 247 sub finem, uerba Achillis uel Thersitae Agamemnonem probris lacessentis. Id si recte statuimus, statim a Lucilio concitatae quaestionis formam apte in usum uocatam esse intellegimus. XXVIII. 33 fulmentas sene uis atque anu subducere? Per se spectanda est interrogatio negatiua per negationem »non« prolata. Cuius usus unum apud nostrum prostare uideo exemplum: XXIX. 112 non tu contraheris? uolgi inperiis uersere necessest, nec sine permitie. Similia ex Plaut. Ter. nec minus Cic. congessit Draeg., quae cur retractemus causa non subest. Tertii denique generis uis in eo posita est, ut interrogatio ponatur pro enuntiatione sumptiua, ita ut plerumque si mente addendum sit interrogationis forma sublata [1]). Huc spectat unum exemplum Lucilianum: XIX. 8 »aurum uis? hominem en habeas«! quae uerba si interrogationis notam tollimus, facile ita circumscribere possumus, ut dicamus: »si aurum uis, hominem habeas«. Analogiam praebent quae apud Plaut. Amph. III. 4. 12 leguntur: »Amat? sapit« id est: »si amat, sapit«. Eos denique locos, ubi infinitiuus uel accusatiuus cum infinitiuo in interrogatione indignantium orationem exprimente positus est, iam supra adscripsi atque fusius pertractaui.

Satis mirum uideri debet, quod rarissime noster interrogationes protulit per particulas interrogatiuas. Ita particula dubitatiua, quae uocatur, ne bis tantum reperitur: VII. 4 huncin ego umquam Hyacintho hominem, cortinipotentis deliciis, contendi? et XXX. 62 tune iugo iungas me apte et succedere aratro inuitam et glebas subigas proscindere ferro? Illud ne praecipue a comicis pronominibus adnecti solere satis constat, ita tamen, ut uocalis e persaepe opprimatur, qua re

1) Draeg. I. 338c.

existunt formae quales sunt »tun ten. men« et apud nostrum »huncin«. Particula nonne, quae rarissime prostat apud Plaut. et Ter., ponitur, si affirmans expectatur responsum, bis tantum apud Lucil. reperitur: XIV. 17 nonne Cato uetus ille lacessisse ansu' suos est, appellari quod sibi consciu' non erat ipse? et XXX. 32 haec tu me insimilas nonne ante in corde uolutas? Denique particula num, quae plerumque ponitur si negando respondendum est, ter habet apud nostrum locum: XIV. 13 num hilum quid satiat, quod manducamur in ore? XVII. 1 num censes καλλιπλόκαμον καλίσφυρον ullam tum licitum esse uterum atque etiam inguina tangere mammis? inc. 38 'haec odiosa mihi uitiligost' 'num dolet'? inquit. Longe saepissime Lucil. interrogationes expressit per pronomina uel aduerbia interrogatiua, cuius usus exempla enumerare longum est.

Sequitur, ut paucis disputem de interrogationibus, quae disiunctiuae uocantur, ac primum quidem de eis, quae ad rectam orationem spectant. Utrum, quod proprie est neutrum pronominis, longe saepissime prius membrum interrogationis disiunctiuae introducere comprobant exempla ex omnium aetatum scriptoribus petita, nec tamen a Lucilio usquam in oratione directa usurpatum est. Semel interrogationis forma ea est, ut in altero membro ponatur particula ne, alterum disiungatur particula an: XIV. 25 idne aegrist magis, an quod pane et uiscere priuo? Simile est exemplum ex Liuio Andronico sumptum: publicesne an cimices an pedes[1]). Sed, id quod fit in quauis disiunctione, altera pars oppositionis omitti potest, ita ut una ponatur particula an: inc. 67 quid Decius? nuculam an confixum uis facere? inquit. Ea interrogationis forma comicis familiarissima est, nec tamen aliena a Cicerone eiusque aetate[2]). Uno loco occurit duplex particula ne, quae interrogationem disiunctiuam efficiat necne dubito: XXII. 7 nasum rectiu' nunc hominist soeraene pedesne? Apte conferri possunt

1) Draeg. I. 346. b.
2) Draeg. I. 346. a.

quae leguntur apud Ter. Hec. IV. 4. 42 uosmet uidete iam — remissan opus sit nobis reductan domum. Inde elucet recte monere Draeg. I. 351 sub finem tales interrogationes disiunctiuas per ne — ne formatas plerumque in orationem obliquam cadere.

Iam restat, ut eas interrogationes disiunctiuas percenseamus, quae in obliqua oratione locum habeant. Ac primum quidem sententia bimembris nonnumquam ita est comparata, ut prior pars particula careat, posterior per an introducatur. Cuius usus unum praebet noster exemplum: IX. 27 multum hic refert d siet an b. Nusquam tamen posteriorem partem per ne aut anne prolatam inuenies. Semel alterum membrum per annon disiunctum est: dub. 12 quid refert, dictis ignoscat Mucius annon? Eam formam omnibus temporibus satis familiarem fuisse docet Draeg. II. 493. β, quamquam negari nequeat usui communi magis respondere particulam necne [1]), quam apud nostrum nusquam occurrere monuerim. — Scriptoribus quamquam usitatior forma ea est, ut bimembris interrogationis partes introducantur per utrum — an, tamen a nostro semel tantum in usum uocata est: utrum anno an horno tete abstuleris a uiro (XXVIII. 23). Neque usquam locum reperies, ubi priore parte per utrum prolata posterior per annon uel anne uel necne introducta sit. Facile enim uides eam interrogationis obliquae formam nostrum potissimum adamasse, qua prior pars per particulam ne, per an posterior sit prolata. Quod quam uere statuerim, intellegis ex his exemplis: V. 45 possisne elabi an porro prodenda dies sit. IX. 25 atque 'accurrere' scribas dne an c, non est quod quaeras seiue labores. XXVI. 43 suspendatne sese an gladium incumbat, ne caelum bibat. Eadem interrogationis forma adhibita est a Plauto, saepius a Cic., nec minus a Curt. Tac. Suet. Flor [2]). Nec tamen ea interrogatio Lucilio est usitata, cuius alterum

---

1) Draeg. II. 494. δ.
2) Draeg. II. 496. β.

membrum per ne, per necne uel annon alterum introducatur[1]. De ea forma, qua utrumque membrum per ne. disiunctum sit, iam supra exposuimus[2]).

f) de enuntiationibus temporalibus.

α) de coniunctione quae est cum.

In uniuersum hoc statim monuerim difficillimum esse ad intellegendum, quas rationes Lucil. in enuntiationibus temporalibus secutus sit, cum saepissime sententia primaria aetatem non tulerit. Nos Draeg. dispositionem rei secuti exempla enotemus: particulam cum non solum si meram temporis, sed etiam si causae notionem habet, a priscis scriptoribus cum indicatiuo iungitur. Saepe tamen utraque significatio mixta apparet, ita ut modo haec modo illa praeualeat[3]). Primum dicamus de coniunctione temporali.

1) coniunctio quae est cum iuncta cum indicatiuo praesentis temporis saepe alicuius actionis iterationem significat, ubi nos per »wenn« uertimus[4]). Quo spectant haec exempla: III. 56 e somno pueros cum mane expergitu' clamo. VIII. 3 cum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis ficta arte conpono. VIII. 5 cum latu' componit lateri et cum pectore pectus. XIII. 1 acribus inter se cum armis confligere cernit. XIII. 6 nam sumptibu' magnis extructam ampliter adque apte cum accumbimu' mensam. XV. 35 cum tecumst, quiduis satis est. XXVII. 25 cum mei me adeunt seruoli, non dominam ego appellem meam. XXX. 65 aut cum iter est aliquo et causam conmenta uiai bito apud aurificem sq. Vides ex his locis sententiam primariam idem tempus, dico praesens, exhibere

1) Draeg. II. 496. γ. δ.
2) Draeg. II. 497. ε.
3) Draeg. II. 543, II. 679 § 534.
4) Draeg. I. 544.

atque secundariam. Saepe »cum« iterationis notione in comparationibus positum inuenies: IV. 32 longior hic quam grus grege concita cum uolat olim. V. 29 sicut cum primos ficos propola recentis protulit et pretio ingenti dad primitu' paucos. inc. 117 et uelut in fabrica feruens cum marculu' ferrum multorum magnis incumbentum ictibu' tundit.

2) enuntiatio temporalis ad unum quoddam factum spectat: XXVII. 24 cum pacem peto, cum placo, cum adeo et cum appello meam. inc. 80 graece ergo praetor Athenis, id quod maluisti, te, cum ad me accedi', saluto. Semel uim, quae coniunctioni cum inest, auctam uideo per particulam demonstratiuam nunc: V. 47 nunc cum hoc non est, qui credimu' porro sq. Similiter scripsit Ter. And. 738 nunc quom non queo, animo aequo fero [1]).

3) Sententia temporali explicatur principalis, cuius usus triplex est ratio. Primum iudicium, quod continet enuntiatio primaria, explicatur secundaria [2]): IV. 4 es homo miser, inquit, cenasti in uita numquam bene, cum omnia in ista consumis squilla atque acupensere cum in decumano. XXX. 34 gaudes, cum de me ista foris sermonibu' differs. Vides utrumque enuntiationis membrum idem subiectum exhibere. Ad ipsam coniunctionem cum quod attinet, apte circumscribi potest per »eo quod«. Deinde singularis notio enuntiati primarii explicatur sententia temporali, cuius usus unum reperio exemplum: VIII. 4 cum poclo bibo eodem sq. — hoc est cum ψωλοκοποῦμαι. Satis notum est Cic. in definitionibus saepenumero ita coniunctionem cum in usum suum uocasse [3]). Tertii denique generis uis in eo cernitur, ut sententiae primariae notio temporalis explicetur enuntiatione secundaria [4]): XXIX. 83 primum Chrysi cum negat se gnatam redere.

---

1) Draeg. II. 546. c.
2) Draeg. II. 546. d. α.
3) Draeg. II. 547. β.
4) Draeg. II. 547. γ.

4) Nonnumquam poeta noster particulam cum coniunxit cum futuro exacto, in sententia primaria plerumque positum inuenies futurum simplex uel coniunctiuum, cui uis futuri inest. IX. 19 addes e, cum 'dabi', Furi', iusseris. XXVIII. 2 hoc cum feceris, cum ceteris reus una tradetur Lupo. Coniunctiuum habes: XXIX. 11 quae cum cognoris, uitam sine cura exigas. Uno tamen loco positum est praesens tempus: XX. 6 ut Marsu' colubras disrumpit cantu, uenas cum extenderit omnis. Eadem structura usus est Ter. Hec. 299 quod quom ita esse inuenero, quid restat nisi porro ut fiam miser? Ac ne a Cic. quidem eam alienam esse Draeg. exemplis comprobat [1]). Nusquam apud Lucil. exemplum reperies, ubi »cum« iunctum sit cum futuro simplici.

5) Saepe »cum« habes iunctum cum indicatiuo perfecti [2]); etiam primaria sententia exhibet perfectum hoc loco: XXII. 5 quae cum ad me cubitum uenit, sponte ipsa suaptest adducta sq. Contra ex his exemplis cerni nequit, quale tempus in principali enuntiatione olim positum fuerit: VIII. 15 gallinaceu' cum uictor se gallus honeste sustulit in digitos. XXX. 43 serus cum ec medio ludo bene potu' recessit. inc. 100 sicut mechanici cum alto exiluere petauro. Semel inuenitur coniunctiuus, sed cum extet in oratione obliqua, nihil habet insoliti: XXVII. 42 tu Lucilium credis contenturum, cum me ruperim, summa omnia fecerim ima.

6) Indicatiuo imperfecti particulam cum bis adiunctam uideo: VI. 31 qui te bonu' Iuppiter, inquit, Crasso Mutiu' cum cenabat. inc. 120 cum illic fora erant. Sed uides exempla ita esse comparata, ut quae tempora in enuntiationibus primariis adhibuerit Lucil., intellegi nequeat. Bis adhibuit coniunctiuum, id quod ideo memorabile uidetur, quod apud priscos scriptores rarissime occurrit [3]). inc. 133 Maenius columnam cum peteret et XXIX. 52 huc, alio cum iter haberet, praeteriens uenit, cui

1) Draeg. II. 549. b. II. 553. b.
2) Draeg. II. 550, 3.
3) Draeg. II. 572. § 498.

exemplo simillimum est illud Ennianum[1]: quomque caput caderet, carmen tuba sola peregit et pereunte uiro raucum sonus aere cucurrit. Tempore procedente coniunctiuum praeualuisse notum est. Lucili aetate fluctuatio extitisse uidetur, utrum indicatiuus potius an coniunctiuus ponendus esset.

7) Plusquamperfecto adiunctam particulam »cum« in prisca latinitate quinquies occurrere docet Draeg.[2]). Noster unum praebet exemplum, quod eis quae a Draeg. in medium prolata sunt addendum uidetur: XXVI. 94 cum stadio in gymnasii duplici corpus siccassem pila.

8) Denique particula, de qua sermo est, abiecta temporis significatione coniungitur cum altera enuntiatione per tum introducta ad connectendas illas enuntiationes[3]). Quam structuram iam Plaut. et Ter. adhibuerunt, noster semel V. 54 et cum haud mu uisus facere est, tum retia nexit.

De particula cum, si habet uim causalem aut concessiuam, infra suo loco dicam. Id tamen ex eis, quae de particula temporali in medium protuli, confidenter colligendum est eius usum apud Lucil. latissime patere aperteque illam in deliciis ei fuisse. Inspicias quaeso exempla qualia sunt IV. 5. 6. VIII. 5. XXVII. 24.

β) de particula quando

Orta est ex prisca ablatiui forma quandod neque quidquam habet difficultatis, quoniam, nisi aliunde apta est enuntiatio, indicatiuum adsciscit. Quam coniunctionem praecipue priscae latinitatis propriam esse exponit Draeg.[4]). Apud nostrum bis occurrit: V. 9 quando in eo numero mansti, quo in maxima nunc est pars hominum. XXVIIII. 31 praeterea haec subsiciua,

1) Enn. ann. ed Vahlen u. 508.
2) Draeg. II. 564. d.
3) Draeg. II. 580. § 499.
4) Draeg. II. 582. § 500.

si quando uoles, opera! Priore loco illud mansti certe perfectum praesens est, neque enim ullus scriptor priscus »quando« cum tempore historico coniunxit, quem usum inde a Cic. demum aetate extitisse exemplis comprobat Draeg.[1]). Rarissime occurrit omnibus linguae aetatibus forma quae est »quandoque« pro quandocunque[2]), quam Lucil. semel in usum uocauit: XXX. 70 quandoque pudor ex pectore cessit. Praeterea eam habes in XII. tabularum legibus.

γ) de coniunctione, quae est postquam.

Constat priscos scriptores eam particulam saepe cum praesenti tempore iunxisse et de longiore temporis spatio dixisse, quod usque ad praesens tempus porrigatur, ita ut simul praeteritum et praesens tempus complectatur[3]). Eius tamen usus apud Lucil. in tanta fragmentorum paucitate nullum superest exemplum. Semel tantum »postquam« ex usu communi cum perfecto historico iunctum habes: V. 35 postquam praesidium castris educere creuit.

δ) de coniunctione ubi.

Quamquam in hac fragmentorem paucitate non pro certo iudicare possumus, quam late alicuius particulae usus patuerit, tamen fortasse non nimis a probabilitate discedemus statuentes coniunctionem ubi Lucilio magis in usu fuisse quam postquam. Cum praesenti historico eam structam habes VI. 21. 'θαῦμα μέγα' inquid balba, sororem lanificam dici, siccam atque abstemiam ubi audit. VII. 20 hanc ubi uelt male habere, ulcisci pro scelere eius, testam sumit homo Samiam sq. Vides utriusque exempli enuntiationem primariam item praesens praebere. Iterationem actionis ubi significat XXVI. 5 ego ubi quem ex praecordiis ecfero uersum[4]). Perfectum historicum

1) Draeg. II. 583. Holtze I. 106 sq.
2) Draeg. II. 583. 584.
3) Draeg. II. 585, c. Holtze II. 76 sq.
4) Draeg. II. 593. d.

prostat I. 13 haec ubi dicta, dedit pausam ore loquendi. XI. 3 huc ubi concessum pellesque ut in ordine tentae, ubi mente addendum est »sunt«. Semel ubi cum imperfecto Lucil. posuit: XXIX. 105 ubi erat κοπιῶσα[1]), eiecere istum abs te quam primum et perdere amorem. Haec structura ideo mihi maxime memorabilis uidetur, quod Draeg.[2]) contendit imperfectum post »ubi« tota prisca latinitate semel a Ter. Eun. 405 »requiescere ubi uolebat« positum esse neque usquam usque ad Sall. aetatem analogiam apparere. Videmus igitur Draeg. sententiam aliqua ex parte esse retractandam. Nusquam Lucil. ubi cum coniunctiuo construxisse uidetur[3]).

ε) de coniunctione dum.

Dum si idem ualet quod »quamdiu«, significat temporis spatium, quod duae res simul occupant, ita ut eodem tempore, quo altera agitur, etiam alteram agi dicatur[4]). Ea notione Lucil. hanc particulam constanter cum praesenti tempore iunxit, id quod comprobant hi loci: XV. 26 dum miles Hibera terra seice meret ter sex, aetate quasi, anneis. XXIX. 38 orationem facere conpendi potes, solui dum saluo tergo a tergino licet; ubi in sententia primaria idem tempus habes. inc. 57 Corneliu' Publiu' noster Scipiadas, dicteria dum usque intorquet in ipsum. Neque usquam post dum, si est quod nos dicimus »waehrend«, coniunctiuum adhibitum reperies[5]). Dum si terminum significat, ad quem temporis spatium, quod complectitur enuntiatio primaria, producitur, uertere solemus per »bis«[6]). Ad eam notionem unus locus spectat: IV. 23 nec

1) lectio »erat« codicum consensu est firmata; de uoce graeca quae subsequitur quid sit statuendum supra expositum est.
2) Draeg. II. 594. g.
3) Draeg. II. 596. 2. a. b.
4) Draeg. II. 607, § 507.
5) Draeg. II. 608. B.
6) Draeg. II. 609. 2.

longiu' quicquam nobis, quam dextrae gladium dum accommodet alter. Coniunctiuum positum esse comparet, quod consilii notio in temporali enuntiatione inest[1]). Uno loco dum pro dummodo adhibitum inuenio, sed de hac exceptionis forma, qua res aliqua conceditur ex reliqua parte, aptius infra, ubi de enuntiationibus conditionalibus sermo erit, dicam.

ζ) de coniunctione, quae est priusquam.

Coniunctio antequam, quippe quae aliena sit a priscis scriptoribus[2]), non occurrit apud Lucil. Quod ad ipsam formam attinet, monendum est Lucil. priusquam aut coniuncte scripsisse aut prius a quam diuulso, ita ut unam uel plures uoces interponeret. Nusquam haec coniunctio a Lucil. cum coniunctiuo posita est, certe quantum ex fragmentis possumus iudicare. Semel occurrit praesens tempus: IV. 20 in os prius accipiam ipse, quam gladium in stomacho furi ac pulmonibu' sisto. Illud sisto ita usurpatum esse uides, ut ad tempus futurum spectet, quem usum Cic. potissimum aetate uiguisse notum est[3]). In enuntiatione primaria habes tempus futurum. Semel subsequitur perfectum historicum[4]): XXVI. 12 numquam priu' quam uenas hominis tetigit ac praecordia. Semel denique habes futurum exactum[5]); XXIX. 92 non prius tollas quam Tulli animum ex homine atque hominem ipsum interfeceris, quae structura omnibus linguae aetatibus raro adhibita est. In enuntiatione primaria plerumque futurum locum habet, sed facile uides in coniunctiuo tollas uim futuri latere.

Coniunctio donec uel antiqua forma donicum apud Lucil. non prostat.

---

1) Draeg. II. 610. b.
2) Draeg. II. 617. 618.
3) Draeg. II. 618. 1. a.
4) Draeg. II. 619. e.
5) Draeg. II. 619. d.

g) de enuntiationibus causalibus.

α) de particula cum.

Plaut. et Ter. »cum«, etiamsi meram uim causalem exhibeat, plerumque cum indicatiuo iunxisse iam supra exposui. Noster uno loco, ubi uis temporalis et causalis mixta apparet, ita tamen, ut mea quidem sententia haec illa praeualeat, indicatiuum usurpauit: V. 46 nam si, quod satis est homini, id satis esse posset, hoc sat erat. nunc cum hoc non est, qui credimu' porro sq. Apparet illud enuntiatum per nunc introductum uertendum esse per »doch da das nun jetzt nicht der fall ist«. Coniunctiuum tamen habes his locis: XIX. 4 denique uti stulto nil sit satis, omnia cum sint. XX. 9 nugator cum idem ac nebulo sit maximu' multo. XXII. 4 cui nil durist, cum nix et sacculus abstulerit. XXVII. 6 cum sciam nil esse in uita proprium mortali datum. XXX. 123 quanti uos faciant, socii cum parcere possint. Inde uidere licet plerumque praesenti tempori Lucil. cum causale adiunxisse [1]).

β) de coniunctione quod,

uix quidquam est, quod mentione dignum uideatur, namque nisi aliunde apta est enuntiatio, indicatiuum adsciscit. Quod cum coniunctiuo iungitur, si causa non obiectiua quae appellatur exprimitur, sed ea, quae pendeat ex cogitatione subiecti enuntiationis [2]). Utriusque usus exempla afferre longum est.

h) de enuntiationibus comparatiuis.

Unum ante omnia monuerim, quod cum Lucili proprium uideatur, potissimum mentione dignum sit: nostrum constanter in comparationibus fictis, quae dicantur, »ut si« pro usitatiore forma »quasi« in suum usum conuertisse. Quod quam uere dictum sit, ex hisce exemplis accurate cognoscere licet: IX. 70

---

1) Draeg. II. 679. § 534.
2) Draeg. II. 673. § 530.

crisabit, ut si frumentum clutibu' uannat. XXIX ut si id quod concupisset non aptus feret. Denique in omnium ore uersatur et in prouerbii fere consuetudinem hic uersus uenisse uidetur: inc. 21 insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes. Cuius usus prisca latinitas unam analogiam praebet: Ter. Eun. 117 docere, educere ita ut si esset filia. Procedente tempore saepe a Cic., nec tamen in orationibus, ut si pro quasi adhibitum esse animaduertere licet [1]). Neque eiusmodi exempla aliena sunt a Tacito Nepote Suetonio.

Lucil., qui frequentissimus fuit enuntiationibus comparatiuis, plerumque eas per »ut« introduxit [2]): III. 5 uiamque degrumabis uti castris mensor facit olim. III. 29 crebrae ut scintillae, in stricturis quod genus olim feruenti ferro. III. 34 malus ut quartariu' cippos. VI. 12 nequam et magnus homo, laniorum inmani' canes ut. VII. 6 aetatem et faciem ut saga et bona conciliatrix. VII. 14 sic mouet ac simad nares, delphinus ut olim. VII. 32 primum fulgit uti caldum ec furnacibu' ferrum. Simillime scripsit, et si ad rem et si ad formam spectas, Luc. VI. 148, 9: ut calidis candens ferrum e fornacibus olim stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem. VIII. 18 uerum flumen uti adque ipso diuortio aquae sunt, iligneis pedibus cercyrum conferet aequis, ubi ita uel sic desideratur. IX. 77 scaberat, ut porcus contritis arbori' costis. XIII. 5 et non, pauper utei, Samio curtoque catino. XX. 5 ut Marsu' colubras disrumpit cantu. XXVI. 60 ut, si eloctiem facere per uentrem uelis, sudor se omnibus distento corpore expirat uiis. XXVII. 18 ut mercede quae conductae flent alieno in funere praeficae, multo et capillos scindunt et clamant magis. XXIX. 114 paulisper comedent iam haec sese ut polypus ipsa. inc. 155 sustineat currum ut bonu' saepe agitator equosque. Quae exempla qualia sint, si mecum reputo, duas res Lucili peculiares esse putauerim: primum enim liquet eum saepissime, ne dicam ad taedium usque, »ut olim« usum esse in re simili: III. 5.

1) Draeg. II. 642. 2.
2) Draeg. II. 630 sq.

III. 29. VII. 14. inc. 152. Quo fit, ut unum locum lacerum quondam in comparatione quadam fuisse ex ipso illo »olim« satis confidenter colligere possimus, dico quae leguntur III. 63 Romanis ludis forus olim ornatu' lucernis. Etiam alii scriptores etsi illam formulam dicendi usurpauerunt, uelut Hor. Sat. I. 25 ut pueris olim dant crustula blandi doctores, elementa uelint ut discere prima, tamen nullum reperies, qui eam aeque atque noster in deliciis habuerit. Eam loquendi rationem ex Homeri imitatione profectam esse sane probabile uidetur, quippe qui comparationes saepe efferat per ὡς ποτε. Deinde obseruare licet breuiloquentiam nonnumquam in comparationibus deprehendi, ita ut uerbum per ellipsin omissum sit: III. 29. III. 34. VII. 14, quamquam hoc loco haud scio an uerbum subsecutum sit. XIII. 5.

Multo rarius omnibus linguae aetatibus comparationes per uelut introductas esse docet Draeg.[1]) Sed quae proposuit uir doctus in Lucil. non cadere ex his quae afferam exemplis cognoscitur: III. 9 broncu' Bouillanus, dente aduerso eminulo hic est, rhinocerus uelut Aethiopus. VI. 16 haec inquam rudet e rostris atque heiulitabit concursans, ueluti ancarius, clareque quiritans. inc. 117 et uelut in fabrica feruens cum marculu' ferrum multorum magnis incumbentum ictibu' tundit. inc. 152 uelut ollim auceps ille fuit, cum inprouiso insidiisque. Sed apparet hos uersus ita aetatem tulisse, ut quomodo enuntiatio primaria elata fuerit, intellegi non possit.

»Quam« si in comparatione post comparatiuum ponatur, brachylogiam, quam dicunt, efficere exponit Draeg.[2]). Huc pertinere uidetur uersus, qui IV. 32 legitur: longior hic quam grus grege concita cum uolat olim.

Aliquotiens Lucil. »sicut« in re simili adhibuit, adamat post eam particulam enuntiationem temporalem per »cum« introductam: V. 28 sicut cum primos ficos propola recentis sq. inc. 100 sicut mechanici cum alto exiluere petauro. — Notissimum

1) Draeg. II. 634. 10.
2) Draeg. II. 648. g.

est enuntiationes, quae sunt »ut diximus ut demonstrauimus« aliasque multas constanter per »ut« proferri solere, igitur mentione dignum uidetur quod noster scripsit X. 6 honorumst iudicium Crassis, sicut discribsimus ante[1].

»Tamquam« denique semel in re simili adhibitum reperio: XXVII. 34 modo sursum, modo deorsum, tamquam colus cernui.

i) de enuntiationibus finalibus,

id unum in medium protulerim, quod cum Lucili peculiare sit, nullo modo praetermittendum uidetur. Saepenumero enim per ellipsin particulam »ut« omissam reperies: XXVI. 15 mihi quidem non persuadetur, publiceis mutem meos. XXVII. 33 rem cognoscas simul et dictis animum adtendas postulo. XXX. 46. curate domi sint gerdius, ancillae, pueri, zonariu', textor. Eadem ellipsi Horat. usum esse uideo Sat. II. 6. 38 orabant hodie meminisses et I. 38. 5 simplici myrto nihil adlabores sedulus curo[2]). De enuntiationibus finalibus, si habent uim negatiuam, haec fere obseruare licet: negatiuam sententiam finalem, ubi duae uel plures res significentur, in altero membro neue recipere notissimum est. Nostrum tamen hac ab norma discedere uides VII. 15: ne auriculam obsidat caries, ne uermiculique; ne — que pro neque per tmesin scriptum uidetur. Eam enim ob causam hac in dicendi ratione offendi, quod »neque« pro »neue« inde a Liui demum aetate scriptum fuisse docet Draeg[3]).

Raro neue uel neu bis in finali sententia ita adhibetur, ut particula altera alteri respondeat[4]). Unum exemplum habes apud Lucil. XXVI. 69 neu muttires quicquam neu mysteria ecferres foras. Ex priscis scriptoribus Cato analogiam praebet

1) Draeg. II. 636. § 517. 1. a.

2) Haec quae ex Lucilio citaui exempla addenda sunt eis quae Draeg. II. 282 sq. congessit.

3) Draeg. II. 694. § 549.

4) Draeg. II. 695. 2.

r. r. c. 38 neue noctu neue ullo tempore intermittatur caueto. — »Quominus« uel »quo setius« post uerba prohibendi Lucil. omnino non adhibuit, sed constanter posuit infinitiuum, uelut VI. 27 non te porro procedere porcent[1]). Neque aliter faciendi uerbo accusatiuum cum infinitiuo adiunxit inc. 131 purpuream-que uuam facit albam pampinum habere. Qua in structura cur offendamus ideo subest causa, quod uerba faciendi apud priscos scriptores constanter cum »ut« construuntur, cum infinitiuo sera demum latinitate[2]). Itaque coniecerim Lucil. infinitiuum ponentem normam graecam imitatum esse, secundum quam semper dicatur ποιεῖ τι γίγνεσθαι uel ὥστε τι γίγνεσθαι.

k) de enuntiationibus conditionalibus.

Sumptiuarum sententiarum si ad formam specto, hoc potissimum mihi monendum uidetur haud raro Lucil. per ellipsin particulam »si« omisisse. Quod quam uere statuerim hisce ex locis liquet: XIV. 11 delectes te, hilo non sectiu' uiuas. XV. 35 cum tecumst, quiduis satis est. uisuri alieni sint homines, spiras, pallam, redimicula promit. Etiam uernaculam linguam eandem ellipsin exhibere notum est; quo fit, ut proxime ad ipsa uerba latina accedere possimus ita fere uertentes »wenn sie mit dir (scil. dem gatten) allein ist, so genuegt jegliches; wollen sie fremde maenner besuchen, holt sie haarschmuck, staatsmantel, stirnband hervor«. Denique huc pertinet XXX. 122: hoc missum facies illo me utere libentei. Analogiam exhibet Ouid. am. I. 277 conueniat maribus, nequam nos ante rogemus, femina iam partes uicta rogantis agat[3]).

Deinde non abs re uidetur monere uno loco Lucil. in disiunctione si — siue pro usitatiore forma siue — siue dixisse:

---

1) Draeg. II. 845, a. b.

2) Draeg. II. 236.

3) Draeg. huius ellipsis formae nullam habuisse rationem mirari non desisto. Cfer. II. 758—763.

XXVII. 14 in bonis porrost uirist, si irati seu cui propitii sunt. Familiarissima ea dicendi ratio est Plauto, qui constanter fere disiunctionem per si — siue instituat: Curc. I. 1. 4 si media nox est siue prima uespera et Amph. proll. 70 si quoiquam artifici seu per scriptas literas. Pariter Graeci dicebant εἰ — εἴτε pro εἴτε - εἴτε, neque abhorret a probabilitate ex graecae linguae usu latinam dicendi rationem originem traxisse. Plerumque uero apud Lucil. prius membrum sine particula effertur et siue ad alterum tantum membrum additur, ita tamen, ut itidem fiat inter ambo membra disiunctio: VIII. 10 gigeria insunt siue adeo hepatica. IX. 26 non est quod quaeras seiue labores. IX. 52 decusis siue decusibus est. Concedendum tamen est locum primum tertiumque ita esse comparatum, ut siue uel si praecedere potuerit[1]). Sed iam ad ipsas condicionales sententias transeamus!

α) enuntiatio condicionalis indicatiuum adsciscit.

Frequenter occurrunt exempla, ubi et sententia primaria et secundaria cum praesenti tempore structa est; unum exemplum attulisse satis erit: XXVI. 90 sin autem hoc uident, bona semper petere sapientem putant[2]). Pauciores extant loci, ubi sententia primaria futurum, secundaria praesens exhibet, ita tamen, ut ad futurum tempus spectet: IV. 19 occidam illum equidem et uincam, si id quaeriti'[3]). Expectamus enim quaeretis, nec male coniunctiuum huc quadrare existimauerim: quaeratis. In membro condicionali habes futurum simplex semel tantum: XXVIII. 31 praeterea haec subsiciua, si quando uoles, opera! Quale tempus in enuntiatione principali olim positum fuerit, non liquet. Frequenter tamen futurum exactum in sententia condicionali locum habet: in primaria habes futurum simplex XXVIII. 8 posterioribus στοιχείοις, si id maluerit, priuabit tamen. Eam formam

1) Draeg. II. 145.
2) Draeg. II. 701.
3) Draeg. II. 703. d. 704.

uni cuique linguae latinae aetati familiarissimam fuisse uix est quod moneam; ei prorsus respondet Graecorum ea enuntiatio hypothetica, quae in sententia primaria futurum, secundaria ἐάν cum coniunctiuo aoristi temporis sibi uindicet; aut habes in primaria praesens tempus: VII. 2 nunc praetor tuos est meu', si decesserit horno Gentius [1]).

β) enuntiatio condicionalis coniunctiuum sibi uindicat.

Sententiae principalis formae uariae sunt: primum quidem utrumque enuntiatum exhibet coniunctiuum praesentis, ubi Graeci εἰ cum optatiuo ponere solent [2]). Exempla haec sunt: I. 17 cui, si coniuret (εἰ συνωμοσίαν ποιοῖτο), populu' uix totu' satis sit. IX. 56 mortua si dicas iam pridem, emortua malim. XIV. 11 delectes te, non sectiu' uiuas [3]). XXVI. 92. 93 ferri tantum, si roget me, non dem, quantum auri petit. si secubitet, sic quoque a me quae roget non impetret. XXVIII. 11 submittas alios, si quos possis. Denique huc pertinet I. 12, ubi in descriptione τοῦ ἀδυνάτου [4]) dicitur: nec si Carneaden ipsum Orcu' remittat. Nec tamen ex eo uersu cerni potest, quale tempus in principali sententia quondam positum fuerit. Non minus infeliciter hi loci aetatem tulerunt: hortare illorum si possim copi' potirei. XXX. 12 si liceat facere et iam hoc uersibu' reddere quod do. XXX. 100 inde canino ori si ritu oculisque inuolem. Coniunctiuum imperfecti habes V. 2 si tam corpu' loco ualidum ac regione mearet, scriptoris quam uera meat sententia cordi; in hac forma irreali membrum principale, quod seruatum non est, utrum coniunctiuum imperfecti an plusquamperfecti temporis olim exhibuerit, certe in medio relinquendum est.

---

1) Draeg. II. 711. b.
2) Draeg. II. 715. § 549. a). α.
3) de ellipsi supra diximus.
4) Lactant. instit. VI. 14. 3.

γ) enuntiatio condicionalis coniunctiuum, indicatiuum primaria sibi uindicat.

Primum sententia sumptiua exhibet coniunctiuum, principalis indicatiuum praesentis. Draeg.[1]) exponit eam formam, quae comicis maxime usitata sit, ita esse comparatam, ut sententia primaria, quae in secundaria coniecta tantum et ad arbitrium sumpta sint, ea pro certo inde colligantur et affirmentur. Sed haud scio an melius unum quod praebet noster exemplum ex iteratione actionis sit explicandum: XXVI. 59 ut, si elouiem facere per uentrem uelis, sudor se omnibus distento corpore expirat uiis. Sane meae coniecturae fauet, quod uerba illa in comparatione posita sunt. — Semel habes in enuntiato sumptiuo coniunctiuum, in primario indicatiuum imperfecti temporis: V. 46 nam si, quod satis est homini, id satis esse potesset, hoc sat erat. In haec uerba profecto ea cadunt, quae Draeg.[2]) hac de forma condicionali exposuit. Certe enim indicatiuo significatur ea quae primaria sententia contineat nullo modo pendere ex eis, quae in sumptiuo membro insint, sed per se stare et cum eis, quae uera sint, prorsus congruere.

Per se spectandum est hoc enuntiatum sumptiuum: nam si tu fluctus undasque e gurgite salso tollere decreris, uentum prius, Emathium tu uentum, inquam, tollas. Habes igitur in primaria sententia coniunctiuum praesentis, sed quaeri potest, utrum illud decreris pro coniunctiuo perfecti an pro futuro exacto sit capiendum. Atque ut Draeg.[3]) docet raro pro certo affirmari posse utrum tempus statuendum uideatur, ita de nostro loco iudicium in medio relinquendum est: coniecturam tamen facere licet. Obseruaui enim nostrum eas enuntiationes sumptiuas, quae ad descriptionem *τοῦ ἀδυνάτου* spectent, cum coniunctiuo ponere solere, ut unum ex pluribus exemplum afferam I. 12 nec si Carneaden ipsum Orcu' remittat. Locum uero qui

1) Draeg. II. 718. b. α.
2) Draeg. II. 725. d.
3) Draeg. II. 717. β.

extet inc. 157 in descriptione illa positum esse luce clarius est. Ergo multos habet numeros probabilitatis illud decreris esse coniunctiuum perfecti.

Denique huc pertinet particula dum, si significatione »wenn nur« ponitur, ut terminus significetur, ultra quem sententia extendi non possit[1]). Plenius sententia traditur addito uocabulo modo, unde fit unum uerbum dummodo. Ceterum etiam interposito alio uerbo dicitur dum — modo separate. Noster tamen omissa particula dum, quantum ex fragmentorum paucitate cerni potest, constanter »modo« dixisse uidetur. Duo tantum huc spectant uersus: IX. 28 intu' modo stet rectu' foris subtemini' panus. XIII. 15 unu' modo de multis qui ingenuos sit.

l) de enuntiationibus concessiuis.

De coniunctione concessiua »etsi« ita dicit Handius Tursell. II. 601: »etsi concessiuam format sententiam, quae uel praemittitur, uel media interponitur, uel adicitur alteri sententiae.« Huc spectant duo uersus: XXVII. 44 etsi maxime quod spero mutuom hoc mecum facis, et XXIX. 59 etsi retinere hunc uoles spe longius te producturum et diutius. Nec tamen his ex fragmentis cerni potest, quem locum sententiae per etsi elatae in tota enuntiatione obtinuerint. Tametsi, quod certe ex tamen et etsi coaluit primumque apud Enn. in lucem prodiit, bis legitur: V. 8 quo me habeam pacto, tametsi non quaeri', docebo. XXIX. 23 colligere auxilium, tametsist indigna ut feram. Vides et etsi et tametsi constanter cum indicatiuo coniunctum esse[2]). Coniunctio quamuis, quam prisci auctores et cum indicatiuo et cum coniunctiuo construxerunt, bis occurrit, ita tamen, ut utrum hic an ille modus subsecutus sit, cognoscere non possimus: X. 8 quamuis desubito trinis deducere scalis. IV. 25 quamuis bonus ipse Samnis in ludo ac rudibus cuiuis satis asper. Cum, si habet uim concessiuam, prisca latinitate cum indicatiuo

1) Draeg. II. 761. 762.
2) Draeg. II. 764. 765.

positum esse demonstrat Draeg.[1]) excepto uno exemplo quod praebet Ter. And. 166 indignis quom egomet sim acceptus modis. Itidem duo loci Luciliani, quibus »cum« particula uim concessiuam prae se fert, coniunctiuum exhibent: V. 11 ut periisse uelis, quem uisere nolueris, cum debueris. XXIX. 43 cum ipsi in lutum descendant, cum alios detrahant[2]).

m) de participiorum usu.

Participia, quae coniuncta uocantur, uix quidquam praebere uideo, quod mentione dignum sit. De absolutis participiis haec in medium protulerim. Satis notum est nonnumquam ablatiuum absolutum ita comparatum esse, ut subiecto omisso solum participium ponatur, certe genere neutro intellegendum, quod ex impersonali uerbi significatione est explicandum[3]). Unum apud Lucil. exemplum reperio: XXX. 38 insperato abiit, quem una angina sustulit hora. Priscae latinitatis peculiare est tali ex participio nullum enuntiatum pendere[4]). Similiter scripsit Plaut. Amph. 658 optato. Men. 625 faenerato. Asin. 310 improuiso. Ter. Hec. 94 praefinito. 737 peccato. Andr. 807 auspicato. — Si ablatiui absoluti forma ea est, ut pro participio positum sit adiectiuum uel substantiuum, nullo modo participium uerbi auxiliaris »esse« subaudiendum, sed de ablatiuo quodam modali cogitandum est[5]). Quo retulerim hos locos: XXX. 126 neuqui te ignaro famuli subducere; simillimum est quod scripsit Cato r. r. 5 insciente domino. XI. 14 Scipiadae magno inprobus obiciebat Asellus lustrum illo censore malum infelixque fuisse. Nec tamen est cur offendamus, quod subiectum logicum quod uocatur, in enuntiatione primaria item habet locum[6]). Paullo audacior est ea ablatiui absoluti forma, ubi unus ablatiuus

1) Draeg. II. 772, § 570.
2) Muell. ed. 261. 32.
3) Draeg. II. 798. § 584.
4) Draeg. II. 799. 1.
5) Draeg. II. 804. § 585.
6) Draeg. II. 808. § 586.

occurrit, uelut IV. 15 Aeserninu' fuit, Flaccorum munere, quidam Samnis. XXVI. 78 redisse ac repedasse ut Romam bitat gladiatoribus. Aperte hic ablatiuus tempus exprimit et apte circumscribitur »quando editur munus gladiatorium«. Prorsus eodem modo dicit Cic. in epp. ad Atticum »gladiatoribus esse Romae«. Denique in omnium fere ore uersatur Horatianum illud notissimum od. II. 10. 30 »sperat infestis metuit secundis[1])«.

n) de casuum usu.

α) de accusatiuo.

Notissimum est multa uerba cum praepositionibus »ad ante inter in ob post prae sub super con trans« composita ex usu communi datiuum sibi uindicare, nonnumquam tamen ac maxime sera latinitate cum accusatiuo casu posita sunt, ita ut transitiua euadant. Lucil. etsi inter priscos scriptores referendus est, tamen nonnulla eius usus exempla praebet: III. 13 ut Setinum accessimu' finem, pariter Caelius annal. VI. omnes simul terram cum classi accedunt. Eandem huius uerbi structuram saepius adhibuit Sall. et qui post eum fuerunt scriptores, nec tamen usquam aetas classica. XIII. 6. nam sumptibu' magnis extructam ampliter adque apte cum accumbimu' mensam. Eadem ratione scripsit Accius 217 ne quisquam accumbat mensam. Similiter posuit Plaut. accidere cum accusatiuo et post eum Lucr. V. 608 stipulam accidere incendia. Cui scripturae prorsus respondere uidentur quae graece dicuntur συμβαίνειν τινί[2]). Adscribimus nunc ea uerba quae ad praepositionem in pertinent. Etiam classici scriptores haec uerba cum accusatiuo construunt: inflare ingredi inire insistere inuadere inuehi irrumpere. Itaque ab usu communi recedunt quae noster scripsit XXVI. 43 suspendatne sese an gladium incumbat. Pariter Plaut. dicere uideo Cas. II. 4. gladium faciam eumque incumbam. Porro Lucil. inc. 98 nunc ad te redeo, ut

---

1) Draeg. II. 808. 2. a. b.

2) Draeg. I. 377. 1.

quae res me inpendet agatur; inpendet est quod nos dicimus »das ereignis das mir drohend bevorsteht«, neque aliter Ter. Phorm. I. 4. 2 tanta te impendent mala. Atque Lucr. Lucilio posterior eandem scribendi rationem secutus est I. 326 nec mare quae inpendent uesco sole saxa peresa. Porro huc pertinent quae XXIX. 26 leguntur »tu qui iram indulges nimis«. Ter. huic uerbo accusatiuum adiunxit Eun. II. 1. 16 nimis me indulgeo et Heautontim. V. 2. 35 te indulgebant. Neque abs re uidetur analogiam ex Afranio, Lucili aequali, afferre: u. 339 male merentur de nobis eri, qui nos tanto opere indulgent in pueritia[1]). XIV. 4 Carpathium mare transuectus cenabi' Rhodi iam. Verba, quae sunt cum praepositione trans composita, etiam a Cic. aliisque aetatis classicae scriptoribus cum accusatiuo posita esse constat[2]). Denique unum exemplum afferendum est, quod ad praepositionem ex spectat. Lucil. primus euadendi uerbum cum accusatiuo struxisse uidetur, post eum ita structum occurrit apud classicos poetas, neque raro inde a Liui aetate in prosa oratione.

β) de datiuo.

Datiuum personae cum gerundio et participio futuri passiui iungi solere omnibus notum, neque causa est, cur exempla ad eum usum spectantia afferam. Sed etiam cum aliis temporibus uerborum passiuorum coniunctus reperitur datiuus personae, ac praecipue quidem cum perfecto passiui aut eis formis, quae ab illo tempore descendant. Maduigius de fin. I. 4. 11 sic de ea re iudicat: exempla bonorum scriptorum prosae orationis aut in participio sunt, ut res effecta tamquam externa extet et ad personam referatur siue commodi siue aliqua eiusmodi ratione aut in eiusmodi uerbis, ut non solum ab aliquo, sed etiam alicui res fieri intellegatur, ut in quaerendi uerbo«. Vetustis scriptoribus Enn. Plaut. Ter. illum datiuum minus

---

1) Hoc uerbum Draeg. I. 378. 2. non omittendum erat.

2) Draeg. I. 376. L. I. 382. 13.

ingentia munera fungi. XXVI. 22 quapropter deleiro et cupide officium fungo ruderum. Vides post fungi Lucil. constanter accusatiuum casum posuisse. Sed fluctuationem inter accusatiuum et ablatiuum exhibet uerbum quod est uti: XIV. 16 quem metuas saepe, interdum quem utare libenter. Contra ablatiuum habes III. 49 utimu' rictu. XIX. 2 sic tu illos fructus quaeras, aduersa hieme olim quis uti possis ac delectare domi te. Potiri nonnumquam genetiuum casum sibi adsciscit: V. 18 deficit alma Ceres nec plebes pani' potitur, quamquam nonnullae membranae exhibent pane. VI. 6 hortare illorum si possim copi' potirei. Plaut. Rud. u. 1337 eodem die ubi uiduli sies potitus. Capt. I. 424 nam postquam meus est rex potitus hostium. Et uix est quod moneam eandem structuram Cic. Caes. Sall. familiarem fuisse. Cum accusatiuo uel ablatiuo illud uerbum Lucil. nunquam posuit, certe quantum ex fragmentorum paucitate ea de re iudicare licet.

Aliquoties Lucil. ablatiuum loci ab usu communi recedens sine praepositione posuit: III. 5 uiamque degrumabis, uti castris mensor facit olim. IX. 28 intu' modo stet rectu' foris subtemini' panus. XI. 8 annos hic terra iam plures miles Hibera nobiscum meret. Simillima sunt quae XV. 26 leguntur: dum miles Hibera terra seice meret ter sex. XXIX. 104 hic stare papillas pectore marmoreo. Eis in exemplis cur offendamus, iusta causa subest, namque manifestum est inde a Liui demum aetate ablatiuum loci praepositione in omissa adhibitum esse. Aperte hic est usus ex urbium nominum structura ad alia nomina translatus, si quidem in ablatiuo loci posita sunt [1]).

Nonnumquam ablatiuus praepositione non adhibita significat originem, unde res aliqua proficiscitur, ita ut quodammodo adiectiui attributiui, quod uocatur, locum teneat, quo fit, ut arctissime cum subiecto enuntiationis eiusque uera indole atque natura cohaereat et cum eo in unam quasi notionem coalescat. Eius usus duo apud Lucil. prostare uideo exempla [2]): inc. 51

1) Draeg. I. 525.

2) Haec exempla addenda sunt eis quae Draeg. I. 497 § 216 congessit.

quem praeclarus helops, quem Aegypto sargu' mouebit? XIII. 14 adde Syracusis sola pasceolumque et alutam. Pariter eo ablatiuo usus est Plaut. Merc. 940 uideo ibi hospitem Zacyntho et Asin. II. 4. 92 Periphanes Rhodo mercator. Atque ut analogiam afferam ex scriptore Lucilio posteriore, Varro l. l. IX. 67 haec scripsit: alii generis enim uinum quod Chio, aliud quod Lesbo. Etiam eam structuram ex graeci usus imitatione euasisse manifestum est, secundum quem dici soleat *οἶνος Χιόθεν.* In uniuersum operae pretium esse putauerim accurate statuere, quatenus Lucil. syntaxis graecae uestigia omnino expresserit, namque quo accuratius in eius saturas inquisiuimus, eo magis cognouimus, quam assiduus Graecorum sectator etiam in syntaxi fuerit. Fortasse futuro tempore occasio offeretur accuratius hanc quaestionem pertractandi, sed quominus nunc id faciamus et tempus prohibet et spatium huic disputationi concessum.

Denique, ut hanc de casuum usu quaestionem absoluam, hoc unum addiderim. Verbum, quod est inpertire, Lucil. eadem constructione posuit atque uerba donandi XXVII. 3 sospita, inperti salute et plurima et plenissima. Pari ratione comici id uerbum struxerunt: Ter. And. III. 2. 22 sed cesso eram hoc malo inpertiri propere? Plauto frequentes sunt tales formulae dicendi: aliquem nuntio, aliquem plurima salute inpertire. Deinde eadem constructione Sueton. demum usus est: Claud. IV. honore inpertitus. Ner. 37 neque adueniens quemquam osculo inpertiuit [1]).

Haec habui, quae ad syntaxin Lucilianam accuratius cognoscendam proponerem: usque quaque etiam in hac dissertatiunculae parte describenda eam rationem secutus sum, ut cum Lucilio scriptores priores aequales posteriores breuiter compararem. Ita enim tantum reperiri puto, quae loquendi rationes ac formulae alicuius scriptoris sint propriae ac peculiares. Multas uero res ad syntaxin spectantes easque usui communi respon-

1) Draeg. I. 561. § 242.

dentes, cum ad peculiare genus dicendi nihil faciant, omisi. Denique ita in hac re uersatus sum, ut earum quaestionum syntacticarum, quas tractandas suscepi, omnia exempla Luciliana circumspicerem, congererem, disponerem; lectionis traditae, ubi ad rem pertinere uidebatur, rationem semper habui.

Iam nos institutus ordo ad postremam partem tractandam deduxit.

Caput tertium: De tropis et figuris.

I. De tropis.

A. De translatione.

Sequimur definitionem, quam Quint. VIII. 6. 4 sq. et auctor at Herennium IV. 34. 45 de hoc tropo instituerunt.

Longum est omnes translationes, quae apud Lucil. extant, enumerare: de eis solis breuiter disputabo, quas unus uel primus adhibuit Lucil. aut raro alii poetae usurpauerunt. Eis enim poetae dicendi rationem optime perspici posse patet. Sine dubio poeta, apud quem haud raro insolentes et audaces translationes occurrunt, nonnulla uerba noua significatione adhibuit. Quo fit, ut non solum uerborum compositione, uerum etiam translationibus linguae fines dilatauerit. Nos nonnulla exempla enotemus eaque ex re ipsa, ad quam spectant, quantum quidem fieri potest, disponamus.

Ac primum quidem satis frequentes sunt Lucilio eae translationes, quae ad luxuriam castigandam hominesque effeminatos carpendos spectant: eos qui parasitorum et hominum edacium gulosorumque similes uideantur, saepius tropice uentres uocat: V. 41 uiuite lurcones, comedones, uiuite uentres.

XXIX. 118 uentrem alienum maestum fouere sq. XXX. 42 nemo istum uentrem pertundet delicietque. Haud scio an Lucil. eam translationem ex graeca lingua sumpserit, pari enim ratione Hesiodus theog. 26 ea uoce metaphorice usus est: *ποιμένες ἄγραυλοι, κακ᾽ ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον.* Fortasse eius animo obuersatus est notus ille uersiculus Graecorum: *Κρῆτες ἀεὶ ψευσταί, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί.* Eadem significatione usurpat uocem, quae est guttur: inc. 84 et uentrem et gutturem eundem. Itidem ex graeco sermone primus transtulit »malta« pro homine molli et effeminato XXVII. 38 insanum uocant, quem maltam ac feminam dici uident. Cfer. Non. 37, 7. Inde Horatium uocem »Malthinum« Sat. I. 2. 25 composuisse satis notum est. Similiter dicit Lucil. pro homine macie tenuato »monogrammus«, quam translationem unus adhibuisse et traxisse uidetur a pictura, quae priusquam coloribus corporatur umbra fingitur [1]): II. 20 uix uiuo homini ac monogrammo. XXVII. 39 quae pietas? monogrammi quinque adducti pietatem uocant.

Nonnullae dicendi rationes ad priuandi uel eripiendi notionem spectant. Huc retulerim uerbum quod est decollare, cuius genuina est notio »de collo amouendi«, unde Plaut. ei uim decipiendi, spoliandi Lucil. tribuit [2]): XII. 7 quibus fructibu' uictus me decollaui. Simillime depilandi uerbum, quod proprie significat aliquem crinibus priuare uel aliquem carpere, ad alias res ita transfertur, ut idem ualeat quod despoliare decipere. Neque a probabilitate abhorrere putauerim eum quoque tropum ex graeco sermone esse petitum, secundum quem eadem ratione » *δέρειν* « dicatur. XXIX. 40 'Gnato, quid actumst'? 'depilati omnes sumus'. Vocem »tagax« metaphorice ita adhibet Lucil., ut, cum a tangendo descendat, idem significet quod »furunculus rapax«: XXX. 127 et Musconi' manum perscribere posse tagacem. Nec minus uerbum quod est legere saepe ita tropice adhibetur, ut habeat uim surripiendi [3]): inc. 91

1) Non. 37. 11.
2) Diomed. 361.
3) Non. 332. 25.

Andronis flacci leget utria. XXVIII. 58 omnia ùescatis manibus leget, omnia sumet.

Reliquas uoces uix quisquam ex certo quodam principio diuisionis disponere poterit, quamobrem per saturam tracto.

α) translationes substantiuorum.

Constanter Lucil. leuem translationem sibi concedens uocem, quae est facies, pro forma usurpat: I. 23 Hymnidis ex facie florem delegeris pulchra [1]). Faciem et uoltum copulare adamat: I. 29 uoltus item ut facies. I. 30 quae facies, qui uoltu' uiro. XXX. 56 cuius uoltu ac facie. Similiter aetatem et faciem coniungit: VII. 7 qui te deligat, aetati facieque tuae se fautorem ostendat. VII. 9 primum facie quod honestae et aetati accedit. VII. 6 aetatem et faciem ut saga et bona conciliatrix. Iam uides ex frequenti usu talia Lucili esse propria. — Bulgam per translationem usurpat pro aluo matris: II. 24 in bulgam penetrare pilosam. XXVI. 13 ita ut quisque nostrum e bulgast matris in lucem editus. — Reges metaphorice uocantur homines dites ac potentes: XI. 12 Granius autem non contemnere se et reges odisse superbos, quem tropum ex nostro Horatium sumpsisse ueri simile est sat. II. 2. 44 necdum omnis abacta pauperies epulis regum [2]). — Aetas tropice legitur pro permultis annis: XXX. 107 sperans aetatem in eandem haec proferre potesse. I. 19 ut multos mensesque diesque, non tamen aetatem. — Nauibus poetice ilignei pedes tribuuntur: VIII. 19 iligneis pedibus cercyrum conferet aequis. Nec minus poetice pro equo dicitur sonipes XV. 15, quam translationem ex ipsa equi natura petitam esse manifestum est. — XV. 29 dicitur gallam bibere pro eo quod est »inferioris notae uinum bibere«. — Columella, quod uerbum deminutiuum uocis columna est et proprie significat »kleine säule« a Lucilio ad personas ita transfertur, ut sibi induat notionem »stuetze«, quem tropum etiam nostro sermoni familiarissimum esse constat. XXII. 1

1) Don. ad Ter. eun. IV. 4. 20.
2) Muell. ed. p. 231, 7.

seruos neque infidus domino neque inutilis quoiquam Lucili columella. Huc pertinent quae Donat. ad Ter. Phorm. II. 1. 57 adnotauit: »bene custos, salue; columen uero familiae: an culmen columna? unde columellae apud ueteres dicti serui maiores domus. Lucil. XXII.« — Vox folliculus, quae proprie significat saccum e corio factum, semel per metaphoram satis audacem posita est pro corpore, quo anima obducitur: XXVI. 28 ego si qui sum et quo folliculo nunc sum indutus non queo[1]). — XXVI. 43 poetice scriptum est caelum bibere, quae dicendi formula si tropo exueretur, certe ponendum esset aerem uel aetherem haurire[2]). — XXVI. 76 extat tropus, qui etiam Plaut. et Ter. satis familiaris est, dico loquendi formulam »genium defraudare«, quae tropice significat: auaritia uel nimia parsimonia uitam sibi molestam reddere[3]). Pari ratione scripsit Ter. Phorm. I. 1. 9: quod ille unciatim uix de demenso suo suum defrudans genium conpersit miser. Sensum contrarium exhibet »ingenio indulgere«, id est uitae iucunditatibus atque uoluptatibus obsequi. — Confector proprie is uocatur, qui aliquid parat et conficit; per metaphoram ea uox accipit notionem delendi uel euertendi, uelut apud Lucil. XXIX. 35 malo hercle uostro confectores cardinum[4]). Leuis est translatio, quae in uerbis »in lutum descendere« inest XXIX. 43, significant enim »in negotium uel in periculum incidere«. Pariter frequenter apud Plaut. et Ter. legitur »in luto esse« uel »in luto haesitare«; nec cuiquam ignotum est eas dictiones in prouerbii fere consuetudinem uenisse. — Satis usitata uidetur metaphora, quam Lucil. XXIX. 54 in suum usum conuertit »repudium remittere«. Ita enim de marito dicitur, qui nuptias dirimit nuntiumque uxori remittit. Nec minus notus est tropus, secundum quem fibra, quae uox proprie dicitur de plantarum filo praetenui, ad homines transfertur et notionem »uiscera« sibi induit inc. 46.

---

1) Non. 110. 26 folliculus Lucilius posuit pro corpore.
2) Muell. ed. 248. 37.
3) Non. 117, 29 genium parsimoniam.
4) Non. 268. 31.

β) translationes adiectiuorum.

Primum quidem adiectiuum, quod est decumanus, tropice constanter ita usurpat Lucil., ut idem ualeat atque magnus uel amplus uel ingens: III. 38 decumanis fluctibus, cui apte confertur quod graece dicitur τρικυμία; pariter V. 16 legitur decumana oua, huc pertinent uerba Paul. Diac. 71 decumana oua dicuntur et decumani fluctus, quia sunt magna; nam et ouum decimum maius nascitur et fluctus decimus maximus fieri dicitur«. Porro V. 17 decumana Albesia scuta, qua de re Paulus 4 haec affert »Albesia scuta dicebantur, quibus Albenses, qui sunt Marsi generis, usi sunt. haec eadem decumana uocabantur, quod essent amplissima. Praeterea ea translatio inuenitur: XV. 29 oleum decumanum et IV. 6 acupenser decimanus. Iam uides huius adiectiui usu translato sine dubio Lucil. esse delectatum. — XXIX. 2 Hannibal uocatur ueterator, quae uox leui translatione idem ualet quod uersutus. — Ut saepe prisci scriptores latini [1]), ita Lucil. XXX. 54 pro hominibus dixit mortales, quem tropum aeque atque supra uerbum »sonipes« ex ipsa hominum natura sumptum esse comparet. -- Vermiculatus proprie significat »cariosus«, a Lucil. per metaphoram ita adhibetur, ut sibi uindicet notionem »uarii coloris esse«: inc. 34 omnes arte pauimenti atque emblemati' uermiculati! Unde dicit Cic. Brut. 79, 274 »nullum nisi loco positum et tamquam in uermiculato emblemate, ut ait Lucilius, structum uerbum uideres.«

γ) translationes uerborum.

Verbum quod est contendere per translationem exhibet uim comparandi [2]) I. 24. Eandem prorsus notionem Lucil. intulit uerbo componendi IV. 17 cum Pacideiano componitur. Appellare significat reprehendere uel arguere: XIV. 18 appellari quod sibi consciu' non erat ipse? XXVII. 25 cum mei me adeunt seruoli,

1) Muell. ed. p. 269, 47.
2) Non. 258. 7.

non dominam ego appellem meam i. e. reprehendam, litigem cum ea. Idem ualet illud uerbum apud Cic. de off. I. 25. 89 cauendum etiam ne maior poena quam culpa sit et ne eisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. — Parcendi uerbum constanter seruandi notione positum reperio: XXVI. 76 li parcat. XXVII. 31 parcat illi malu'; huc spectant ea quae Seruius ad aen. X. 532, ubi uerba »gnatis parce tuis« leguntur, adnotauit: parce autem est secundum antiquos serua, ut apud Enn. et Lucil. inuenitur. — Interficere ad res inanimas transfertur, ita ut accipiat notionem edendi[1]): XXVIII. 43 piscium magnam atque altilium uim interfecisti. inc. 92 durum molle uoras fragmenta interfici' panis. — Nec silentio tegendus uidetur usus translatus uerbi quod est imponere: XXVIII. 26 cui saepe mille imposui plagarum in diem. XXIX. 22 deliciis maculam atque ignominiam imponere. III. 55 inposuique pudendam pellibu' labem. Pariter illud uerbum in suum usum uocarunt: Prop. V. 8. 65 inponitque notam collo morsuque cruentat et Petronius 105, 4 placuit quadragenas utrique plagas imponi. — Innubere ita adhibitum est, ut sibi induat uim ineundi VI. 26 sese animam insinuare atque innubere censent. Non. 125, 8 sic eam metaphoram explicat »innubere positum pro transire, quod hae quae nubunt ad domos maritorum transeunt«. — Consequentia uerbi, quod est sumere, si anticipatur, euadit notio fruendi: XXIX. 10 sume diem, quist uisu' tibi pulcherrimu' unus. Analogiam praebet Ter. And. II. 4. 23 hilarem hunc sumamus diem. Cui tropo consimilis est qui uerbo carpendi subest, quod sibi induit uim cum cupiditate quadam fruendi[2]): XXIX. 51 hiemem unam quamque carpam, quae uerba haud scio an animo Horatii obuersata sint scribentis carm. I. 11. 8 dum loquimur, fugerit inuida aetas: carpe diem, quam minimum credula postero. — Satis notus est tropus, qui uerbo, quod est nsultare, inicit significationem deridendi uel obiurgandi[3]):

1) Non. 330, 29.

2) Aperte nugatur Non. 252. 11 sic illud uerbum explicans »carpere est celeriter praeterire«.

3) Non. 330, 20.

XXIX. 41 insulta miserum tu quoque in me! quam translationem in uernaculam linguam prorsus transiisse notum est. — Ex familiari sermone profecta uidetur loquendi formula duc te pro aufer te XXIX. 73, cum saepius occurrat apud Plaut. et Ter., ut unum ex hoc exemplum afferam Hecyr. IV. 1. 17 uxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras. — Verbum »destinare«, quod proprie aliquod consilium exprimit, in sermone mercatorio ad emptionis consilium transfertur, quo fit, ut idem atque »emere« ualeat[1]): XXIX. 75 ad lenonem uenio, tribus in libertatem milibus destino. Eadem significatione id uerbum adhibuit Plaut. Mostell. III. 1. 113 bene hercle factum. quid? eas quanti destinat? Ita apud eundem praestinare est praeemere. — Verbi, quod est emungere, quae sit genuina notio, constat, nota etiam est translatio illa, quae cernitur in dicendi formula »emunctae naris« i. e. homo uersutus. Hinc metaphora audacior euasit: uerbum illud sibi induit uim aliquem docendi, ita ut damnum contrahat. Quo fit, ut emungere idem ualeat atque circumscribere uel fallere. Eam ad significationem unum spectat exemplum Lucilianum: XXIX. 82 in me illis spem esse omnem quouis posse me emungi bolo. Eadem eius uerbi translatione usi sunt Ter. Phorm. IV. 4. 1 »emunxi argento senem« nec non Hor. ep. II. 3. 237 »ut nihil intersit, Dauusne loquatur et audax Pythias, emuncto lucrata Simone talentum.« Graeci idem exprimunt per uerbum *ἀπομύσσειν*, id quod ex Pollucis uerbis comparet II. 4. 15 *ἤδη δέ τινες τῶν κωμικῶν τὸ ἐπὶ κέρδει ἐξαπατᾶν ἀπομύττειν εἶπον.* — Denique »abire« metaphorice exhibet notionem moriendi: XXX. 38 insperato abiit, quem una angina sustulit hora. Huc spectant uerba Pauli 380: abitionem antiqui dicebant mortem.

B. De synecdoche.

Is tropus qualis sit, accurate exposuerunt Quint. VIII. 6. 19 sq., auctor ad Herennium IV. 33. 44, denique Trypho Walz. rhet. gr. uol. VIII. p. 739 sq.

---

1) Non. 289, 29. Paul. 223.

Nonnumquam Lucil. numerum singularem pro plurali posuit, si nominibus populorum utitur: III. 23 Bruttate bilingui i. e. non singularis aliquis homo, sed Bruttii omnino, qui osce et graece loqui soliti sunt [1]). XV. 24 Syrophoenix i. e. Syrophoenices. XX. 5 Marsus i. e. Marsi. Deinde huc pertinent hi loci: XXVII. 12 cocus i. e. coci, in enuntiationis comparatiuae altera parte habes pluralem numerum: sic animum quaerunt amici, rem parasiti ac ditias. inc. 77 scrutarius i. e. scrutarii.

In uniuersum moneo Lucil. perraro synecdoches tropos adhibuisse.

C. De metonymia.

Quint. VIII. 6. 23. Cic. orat. XXVII. 93. Tryph. Walz. l. c. p. 739. Volkmann rhetor. der Griech. u. Roem. p. 361 sq.

Ut ab aliis poetis, ita a Lucilo Ceres pro segete uel pane VI. 18, Volcanius pro igneus XXVI. 42 ponitur, ita ut causa efficiens pro re effecta usurpetur. Mera est metonymia quod pro haruspice ponitur Tuscus [2]): XXVI. 8 porro amicist bene praecipere, Tusci bene praedicere. Veteres enim Tuscos uaticinando insignes fuisse docet O. Muell. de Etrusc. tom. I. 71. 100. Eadem denominatio, ut latinae linguae propria uoce utar, deprehenditur inc. 17, ubi *Χῖός τε δυνάστης* dicitur pro uino Chio. Quem Lucili locum Vergilium imitari uoluisse scribentem »rex ipse Phanaeus« georg. II. 98 testatur Seruius his uerbis usus: de Lucilio hoc tractum est, qui ait *Χῖος δυνάστης* i. e. *οἶνος*.

D. De hyperbole.

Quint. VIII. 6. 67. Auct. ad Herenn. IV. 33. Tryph. Walz. l. c. p. 746. Volkmann l. c. p. 374.

Lucili exemplum huius tropi unum inuenies: XV. 26 dum miles Hibera terra seice meret ter sex, aetate quasi,

---

1) Paul. 35. Mueller. de Etrusc. tom. I. p. 24.

2) Tusci debetur Merceri praeclarae emendationi, cdd. tueri praebent.

anneis. Illud aetate quasi cum hyperbole dictum esse liquet, namque aetas tricenorum annorum habebatur[1]).

E. De hysterologia.

Hic tropus, qui est a Quintiliano omissus, definitur a Gregorio Corinthio (Walz. rh. gr. VIII. p. 778) et a Gregorio Choerobosco (Walz. rh. gr. VIII. p. 818) Volkmann l. c. p. 374.

Semel is tropus a Lucil. adhibitus est: II. 30 fandam atque auditam iterabimu' famam[2]). Eadem ratione scripsit Lucr. 5. 4: qui talia nobis pectore parta suo quaesitaque praemia liquit. Etenim priusquam aliquid parias, te idem quaerere necesse est.

II. De figuris.

A. De figuris rhetoricis[3]).

a) figurae, quae adiectione fiunt.

α) ἐπαναφορά.

Auct. ad Herenn. IV. 13. 19: repetitio est, cum continenter ab uno atque eodem uerbo in rebus similibus et diuersis principia sumuntur. — Volkmann lib. cit. p. 398 sq.

1) substantiuorum.

inc. 3 uirtus est, homini scirei, quo quaeque abeat res, uirtus sq. inc. 14 uis est uita, uides; uis nos facere omnia cogit.

2) adiectiuorum.

XXVIII. 49 nullo honore, di! sepultu', nullo funere. XXVIII. 58 omnia uescatis manibus leget, omnia sumet.

1) Muell. ed. p. 238, 12.
2) Muell. ed. p. 201, 20.
3) Sequar diuisionem, quam instituit Quintilianus IX. 3. 37, ita tamen, ut etiam ὑπερβατόν huc referam, quod Quint. tropum esse putat.

3) pronominum.

Plerumque anaphora introducta est per pronomina: omnia enumero exempla, cum ad Lucili genus dicendi cognoscendum aliquid conferre uideantur.

Pronomina interrogatiua: X. 7 quid sumam, quid non? XXVI. 11 quid cauendum tibi censeres, quid uitandum maxume? XXX. 19 quid dare, quid sumpti facere ac praebere potesset. inc. 51 quem praeclarus helops, quem Aegypto sargu' mouebit? XXVII. 31 cui prosit, cui fidem esse existimet.

Pronomina relatiua: XXVIII. 54 qua est Maximu' Quintus, qua uaricosu' uatax. inc. 5 quae bona, quae mala item.

Pronomina personalia: III. 67 tu partem laudis caperes, tu gaudia mecum.

Pronomina demonstratiua: inc. 11 his bene uelle, his uiuere amicum.

4) uerborum.

I. 5 uellem concilio uostrum, quod dicitis, olim, caelicolae, factum, uellem adfuissemu'.

5) coniunctionem.

VIII. 1 quod gracilast, pernix, quod pectore puro, quod puero similis. IX. 72 quod deformi' senex, ἀρϑριτικός ac podagrosus est, quod puero similis. XXVII. 24 cum pacem peto, cum placo, cum adeo et cum appello meam. XXIX. 43 cum ipsi in lutum descendant, cum alios detrahant. XXIX. 53 si facie facies praestat, si corpore corpus.

6) aduerbiorum.

XX. 5 iam disrumpetur medius, iam ut Marsu' colubras. XXVII. 46 nescis, ubi Graeci, ubi nunc Socratici charti? XXIX. 103 hic corpus solidum inuenies, his stare papillas sq. inc. 109 tum spara, tum ramices portantur.

β) παλιλλογία.

Auctor ad Herenn. IV. 28. 38: conduplicatio est cum ratione amplificationis aut commiserationis eiusdem unius aut

plurium uerborum iteratio, hoc modo: Tumultus, C. Gracche, tumultus domesticos et intestinos comparas. Volkmann p. 397 sq. Ex Lucil. unum cito exemplum: inc. 159 uentum prius, Emathium tu uentum, inquam, tollas.

b) figurae, quae detractione fiunt.

Huc pertinent ea quae supra in parte syntactica de ellipsi et de asyndetis exposita sunt; restat ut dicamus

de figura, quae ζεῦγμα appellatur.

Qintil. IX. 3. 62: figura, quae dicitur ἐπεζευγμένον, in qua unum ad uerbum plures sententiae referuntur, quarum unaquaeque desideraret illud, si sola poneretur. Volkmann p. 405 sq.

Ea figura etiam comicis satis usitata in Lucili saturis bis habet locum: III. 51 uertitur oenophoris fundus, sententia nobis. Aperte hunc locum respicit Isidorus I. 35. 3 et XX. 6. 1 his uerbis usus »zeugma est clausula, cum plures sensus uno uerbo clauduntur. oenophorum uas ferens uinum — de quo est illud. Atque profecto quod est uerbum »uertitur«, magis ad priorem quam ad posteriorem sensum quadrat. — Idem cadit in ea quae XXIX. 91 leguntur: non prius tollas quam Tulli animum ex homine atque hominem ipsum interfeceris; uerbum »interfeceris« nisi cum obiecto »hominem« non quadrat, male tamen cum eo quod est »animum«, supplendum igitur deleris uel tale quid uidetur. Bene Muell. ed. p. 264, 72 analogiam affert ex Polybio[1]: *πρότερον ἔφατε τὴν Ἀιτωλίαν ἐκ τῆς Αἰτωλίας ἀρεῖν ἢ τοῦτον τὸν νόμον.* Verbum *ἀρεῖν* magis ad priorem quam ad posteriorem sensum quadrat.

c) figurae, quae ordine fiunt.

α) de tmesi uel diacope.

Euadit haec figura, cum aliqua uox siue composita siue simplex alia interiecta distrahitur[2]. Satis trita et in omnium

1) edit. Schweighäuserianae t. IV. p. 13.
2) Volkmann lib. cit. p. 373.

ore sunt uerba illa, quae ab Ennio profecta esse nunc uiri docti inter se consentiunt »saxo cere comminuit brum«. Noster tria praebet exempla: XXX. 59 iuratam se uni, cui sit data deque dicata. XXX. 88 inluuies scabies oculos huic deque petigo conscendere. XXX. 90 conque tubernalem. Iam uides Lucil. non tam incommode atque audacter quam Ennium usum esse tmesi, quippe quae occurrat in uocibus compositis, quarum prior pars est praepositio. Non multum igitur a uero aberrabimus statuentes Lucil. usque quaque leni tantum tmesis forma usum esse nec non uoces compositas distraxisse, namque frequenter eum tmesin in usum suum conuertisse duobus potissimum testimoniis comprobatur: Porph. ad Hor. ep. II. 2. 93. 94 quanto molimine circum spectemus uacuam Romanis uatibus aedem: una pars orationis est diuisa in duos uersus Lucili more et antiquorum. Deinde Ausonius, a quo ad quartum p. C. n. saeculum reducimur, epist. V. 35 sq:

inuenies praesto subiuncta petorrita mulis.
uilla Lucani mox potieris aco.
rescisso disces conponere nomine uersum.
Lucili uatis sic imitator eris.

Deinde Muell. p. 128 affert tertium testimonium his uerbis usus: hinc Eugenius Toletanus opusc. XXIII. 9 sq. postquam toto carmine ineptissime diuisit uoces:

pro tibi uti nostro ueniat ex carmine fectus,
instar Lucili cogor discrumpere uerba.

Quae testimonia quid sibi uelint, si tecum reputas, facile reperis Lucil. crebro tmesin usurpauisse ea demonstrare. Jam uero cum in triginta prioribus libris ne unum quidem eiusmodi extet exemplum, confidenter inde colligere possumus permultos uersus aetatem non tulisse. Testimoniis uero illis cur fidem abrogemus, causam subesse non uideo.

β) de synchysi.

Quaeuis insolentior collocatio uerborum, qua notiones cognatae separantur et distrahuntur, dicitur hyperbaton, cuius

potissimum genus est synchysis. Volkmann lib. cit. p. 373. Lucil., quippe qui saepenumero et liberius quam par uidetur uerba traiecerit, ita ut haud raro obscuritates et difficultates euadant, exemplis abundat.

Ac maxime quidem synchysis cernitur in inuersione quadam nominum: I. 3 has Aeli scriptas res ad te misimu' Luci [1]. Nomen illud quale fuerit, ex Suetonio cognoscimus: instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuuinus sq. IX. 22 Cassiu' Caius hic operarius, quem Cephalonem dicimu'. XV. 11 in numero quorum nunc primu' Trebelliu' multost Luciu' [2]. XXVIII. 54 ut si progeniem antiquam, qua est Maximu' Quintus. inc. 56 Cornelu' Publiu' noster Scipiadas, dicteria dum usque intorquet in ipsum [3]. inc. 63 Tubulus si Lucius unquam. Iam uides ex his exemplis Lucil. in nominum immutatione satis audacem fuisse. Cuius rei causam in metri necessitate latere nemo non uidet, quo fit ut inuersio illa ad poetas potissimum pertineat. Nonnulla exempla attulisse satis erit: in epitaphiis Scipionum scriptum est »Cornelius Lucius«. Hor. epp. III. 371 nec scit quantum Cascellius Aulus. Ex Pacuuio citat Muell. »Pacuui Marci«, ex Ennio »Cornelius Cetegus Marcus«, ex Accio »Macci Titi«. Atque ne a pedestri quidem sermone eam nominum immutationem alienam fuisse demonstrat Ritschelius parerg. p. 75.

Nonnumquam in comparationibus uerborum collocatio cernitur: I. 32 inritata canes quam homo quam planiu' dicit, ubi quam antepositum habes; eandem traiectionem adhibuit Catullus 57, 8 non hic quam ille magis uorax adulter, similiter Tibullus I. 3. 9 Delia non usquam: quae me quam mitteret urbe, dicitur ante omnes consuluisse deos. Prisci scriptores, quod sciam, eiusmodi analogiam non praebent. Apte subiungitur

1) Lachm. uerborum ordinem sic instituit: has, Aeli, res ad te scriptas misimu' Luci.

2) de Lachm. hac coniectura quid statuendum sit, exponit Muell. ed. 237, 3.

3) ultima uerba quae Muell. coniecit nihil ad rem faciunt.

exemplum, ubi in enuntiatione comparatiua Lucil. uoculam »ut« postposuit: VI. 12 nequam et magnus homo, laniorum inmani' canes ut. Qua traiectione sine dubio Homerum imitari studuit, quippe qui constanter fere in comparationibus particulam ὥς postponere soleat, uelut λύκοι ὥς, ὄρνιθες ὥς.

Maxime uero in pronominibus relatiuis transponendis audax uidetur Lucil.: II. 18 Hostiliu' contrà pestem permitiemque catax quam et Maniu' nobeis. IX. 34 s nostrorum, etiam graece quod dicimu' sigma, nil erroris habet. XIII. 16 ut perhibetur iners, ars in quo non erit ulla. inc. 4 uirtus, scirei, homini rectum, utile, quid sit honestum, etenim illud »quid« etiam ad uerba, quae sunt rectum et utile, pertinet. inc. 107 ut ueles bonu', sub uitei qui subicit hastas. inc. 114 atque aliquos, ibus ab rebus clepsere foro qui [1]).

Nec minus saepe Lucil. praepositiones transposuit, ac maxime quidem »in«. XXVI. 94 cum stadio in gymnasii duplici corpus siccassem pila [2]). XXVII. 48 in concedere unum atque in eo dare quod spectatur manus. Addo aliarum praepositionum collocatarum nonnulla exempla: XXVII. 22 ego enim a, perficiam, ut me amore expediam? quam traiectionem durissimam esse liquet. inc. 50 hunc pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo. Apparet solitum ordinem esse hunc: »inter duos pontes«. Ita eodem tempore C. Titius in oratione, qua legem Fanniam suasit: »lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit [3])«.

Particularum in alienam sedem translatarum haec laudo exempla: XII 3 firmiter hoc pariterque tuo sit pectore fixum.. Illud que traiectum est, namque ordo est: et pari ratione hoc pectori tuo firmiter infixum sit. Eadem est collocatio inc. 139

1) Sic exhibent membranae, Scalig. tamen coniecit foroque: sine iusta causa, nam bene Muell. p. 282 ita interpretatur: aliquos, qui in foro de rebus eis subduxerunt nescioquid.

2) cdd. tradunt gymnasio, Muell. apte coniecit genetiuum gymnasii: primo obtutu liquet adiectiuum »duplici« non ad gymnasium, sed ad stadium referendum esse (ἐν διαύλῳ).

3) Muell. ed. p. 276.

principio dignum exodiumque sequetur, ordo est: et exodium dignum principio sequetur. Semel habes aduerbium temporale »iam« transpositum: XXX. 112 si liceat facere et iam hoc uersibu' reddere quod do, cum non minus ad priorem quam ad posteriorem notionem referendum sit.

γ) de chiasmo.

Euadit haec figura, cum orationis siue simplicis siue bimembris quattuor notiones ita sunt comparatae, ut prima respondeat quartae, tertiae altera. Nos eos locos enotemus, quos grauissimos esse putamus: II. 2 uagus exulet, erret exlex. XXX. 52 pulchre inuitati sumus acceptique benigne. IV. 29 subicit huic soldum, fulmentas quattuor addit. VI. 15 praedium emit, qui uendit ecum musimonem? VIII. 12 sallere murenas, mercem in frigdaria ferre. XXVI. 57 percrepa pugnam Popili, facta Corneli cane. VIII. 5 cum latu' componit lateri et cum pectore pectus. XXVI. 74 lutrarum exactorem Albanum et fulgoritorem arborum. XXX. 29 aque tuis factis saeuis et tristibu' dictis. inc. 166 asparagi molles et uiride cyma. XXVIII. 7 γῆ corpus, animast πνεῦμα. XXVI. 77 mordicus petere aurum ec flamma expediat, e caeno cibum. XXVI. 70 cribrum in cerniculum, lucem in laternam, in telam licium (a b c a b c b c a). XXIX. 30 Chremes in medium, in summum eirad Demaenetus. (a b c b c d a).

d) denique id genus huc pertinet, quod »aut similitudine aliqua uocum aut paribus aut contrariis conuertit in se aures et animos excitat«.

α) de paronomasia uel annominatione.

Auctor ad Herennium IV. 21. 29. Quint. IX. 3. Volkmann lib. cit. p. 407. Ea figura est lusus quidam uerborum, qui ita existit, ut ad alicuius uocis literarum ductus alia uox quam proxime accedat. Duplex uero genus est statuendum: aut enim illae uoces, quae figuram efficiunt, eiusdem stirpis sunt, aut diuersae.

1) Prius genus proprie uocatur *σχῆμα ἐτυμολογικόν* et sic definitur a Diomede p. 446, 13: »cum praecedenti nomini aut uerbum aut nomen adnectitur ex eodem figuratu, ut fugam fugit, facinora fecit, gratas gratias, Creta decreta est, pugna pugnata est«. Lucil. praebet haec exempla: II. 30 fandam atque auditam iterabimu' famam. III. 20 ad portum mille a portast. XXX. 99 accipiunt reges, populus quibu' legibus exlex. XXVI. 72 speculo despeculassere. V. 23 cepariu' cepa. XXVIII. 41 glutinator glutino. VIII. 3 labra labellis. XXIX. 33. 34 ancipites ancipiti. XXIX. 38 tergo tergino. XXIX. 102 nec uentorum flamina flando suda secundent. XXX. 27 quem sumptum facis in lustris circum oppida lustrans. XXX. 28 quem scis scire tuas omnes maculas notasque. Iterum in sciendi et nesciendi uocabulis ludit Lucil. inc. 72 moechum scire uolo— consciu' sum mi — scire hoc sibi nesciat is me. XXX. 33 quo tua tu. XXX. 62 tune iugo iungas. inc. 77 scruta quidem ut uendat scrutariu' laudat. inc. 88 fiunt fierique potissunt. inc. 147 uicimus o socii et magnam pugnauimu' pugnam.

2) Alterum genus, quod peculiare nomen prae se non fert, sic definitur a Diomede p. 446. 16 »et aliter paronomasia fit, cum dictio iteratur, mutata tamen aut litera aut syllaba, quotiens nomine simili utimur in significatione diuersa, ut est apud Terentium: nam inceptio est amentium, haut amantium.« Huc referenda sunt haec exempla Luciliana: IV. 32 grus grege. XXVII. 49 primum qua uirtutei seruitutem excluserit. XXVII. 57 deuorare se omnia ac deuerrere. XXIX. 38 solui dum saluo. XXIX. 88 mango — magno. inc. 99 nequam aurumst, auris. inc. 151 scinde calam, ut caleas. IX. 20 et formonsus homo fuit et famosus.

3) Tertia denique paronomasiae species est traductio, cuius figurae uis in eo posita est, ut aliqua uox bis uel saepius alio casu repetatur. Definitionem instituit auctor ad Herennium IV. 14. 20. Nos iam enotemus exempla: V. 52 non omnia possumus omnes. VIII. 5 cum latu' componit lateri et cum pectore pectus. VIII. 6 cruribu' crura *διαλλάσσων*. XXVI. 7 euadat saltem aliquid aliquo. XXVIII. 53 si facie facies praestat,

si corpore corpus. XXIX. 18 cuius sei in periclo feceris periculum. XXX. 31 producunt me ad te, tibi me haec ostendere cogunt. inc. 21 ut si hostes sint omnibus omnes. inc. 141 carcer uix carcere dignus.

β) **Figurae, quae contentio uel contrapositum uocatur**[1]), notabilia exempla non extant apud Lucilium.

B. De figuris grammaticis.

α) **de abundantia uel pleonasmo.**

Pleonasmum Quintil. IX. 3. 46 ita definit: »πλεονασμός est abundans super necessitatem oratio. Verum id, cum superuacua oneratur adiectione, uitium est, cum auget aut manifestat sententiam, uirtus«. Atque Lucil. optimo iure ab omnibus harum rerum peritis uituperatur, quod uerborum non sit parcus neque breuitati studeat. Haec est quaestio satis uexata et arte cohaeret cum iudicio, quod Hor. Sat. I. 4. 11 et I. 10. 50 de hoc Lucili uitio fecit. Nuperrime ea de re egit A. Herwig[2]) atque munere suo tam bene functus est, ut eius sententiae meam adscribam. Nec tamen huic quaestioni satis abunde ac fuse satis fecit, quatenus Lucil. sententias nimis uerbose expresserit, namque nonnulla eius rei exempla notabilia attulisse satis habet. Itaque si ego nunc plura exempla afferam, ne rem actam agam, nequaquam mihi timendum est. Atque ea in re seiungenda mihi uidetur abundantia orationis, quae maxime in synonymorum frequentia perspicitur, ab repetitione uerborum.

1) abundantia orationis.

Imprimis Lucil. synonyma coniungere amat, quo usu uerbositas et ubertas eius optime intellegitur[3]).

---

1) Volkmann lib. cit. p. 412 sq.

2) Ad. Herwig: Horatius quatenus recte de Lucilio iudicauerit Hal. 1873. p. 15. sq.

3) Synonyma definit C. F. W. Muellerus philol. tom. VII. p. 305.

Adiectiuorum exempla haec sunt: X. 4 inprobu', confidens, nequam, malus. XXVI. 34 uolucris ac pinnatos. inc. 60 multi atque frequentes.

Verborum: XXVI. 78 rediisse ac repedasse. XXIX. 96 subblanditur, palpatur, caput scabit, pedes legit. XXX. 19 quid dare, sumpti facere ac praebere. XXX. 50 conficit ipse comestque [1]).

Substantiuorum: IV. 36 Eumenidum sanctissima Erinys. VII. 33 rorariu' ueles est mera tautologia. X. 2 pigror languor torpor. XIII. 4 cui parilem fortuna locum fatumque tulit fors. XXVI. 36 squalitate summa ac scabie summa. XXVI. 36 rauco contionem sonitu et curuis cogant cornibus. Sufficiebat sane illud »contionem cogant.« XXVI. 45 inluuie inperfundie inbalnitie. XXX. 98 hic in stercore humi stabulique fimo atque sucerdis.

Aduerbiorum: XXVII. 35 sensim et pedetemtim. inc. 16 itidem pariterque.

Quibus addo exempla haec: XXX. 99 legibus exlex. XXVI. 72 speculo despeculassere.

2) iteratio uerborum [2]).

Ea tantum exempla laudabo, ubi perbreui interuallo uerba repetuntur: I. frg. 9 uox »pater« est ter repetita, loquendi formula »susque deque« bis III. f. 7, III. f. 47 »horret« bis, V. ff. 3. 4. »stat sentibus« bis, V. frg. 6 »nolueris et debueris« bis, V. f. 33 »satis« ter, VI. f. 16 »bulga« quater. IX. f. 22 »poema« quinquies. XIII. 2 »forte omnino« bis. XVI. f. 5. 6. »legata penus« bis. XXVI. f. 15 »male« bis. XXVI. f. 31 »summa« bis. XXVI. f. 65 »primum« bis. XXVIII. f. 1. »στοιχεῖα« ter. XXVIII. f. 27 »una« ter. inc. f. I »uirtus« sexies. inc. fr. 39 »equitare« quater, »currere« bis.

In uniuersum monendum est tam frequentes iterationes uerborum esse artis nondum adultae aut senescentis. Sed si

---

1) Addendum est IV. 42 conmanducatur comestque.

2) Iterationes uerborum quamquam non sunt inter figuras grammaticas referendae, tamen ideo a me hoc loco in medium prolatae, quod ad genus dicendi cognoscendum conferunt.

de Lucilio iuste iudicare uolumus, ex duabus potissimum causis illam repetitionem profectam esse nobis statuendum est: primum saepius easdem dictiones adhibuit, ut uersum expleret, tum cotidiani sermonis insectator esse studuit.

β) de figura ἓν διὰ δυοῖν.

Draeg. II. 12 sq. et C. F. W. Muellerus phil. VII. p. 300 eius figurae definitionem accuratam instituerunt, qua re ad eorum explicationes reiecisse satis habeo.

Ex Lucilio L. Muell. duo exempla affert [1]: XXVII. 26 ad metuis porro, ne aspectu et forma capiare altera. XXIX. 61 pluteos excutiet tectaque et testudines reddet.

C. *Figurae sententiarum.*

α) oratio auersa uel ἀποστροφή.

Volkmann. p. 426. — Ea figura bis in Lucili saturis inuenitur: XXVI. 57 percrepa pugnam Popili, facta Corneli cane. Sine dubio haec uerba Lucil. ad musam conuersus ait. XXVIII. 3 sospita, inperti salute et plurima et plenissima. Apparet poetam haec ad Iouem optimum maximum conuersum precari.

β) omissio uel ἀντίφρασις.

Existit haec figura, cum quaedam negamus nos dicere et tamen dicimus. Semel apud Lucil. habet locum: inc. 160 non tango, quod auarus homost, quodque inprobu' mitto.

γ) rhetorica breuiloquentia

nonnumquam statuenda est, si duae enuntiationes ita inter se coniunctae sunt, ut mente addendum sit: tibi uel uobis dico uel dicam uel scitote. Ea figura et priscae et classicae et argenteae aetatis scriptoribus pariter fere est familiaris. Ex Lucilio unum exemplum in medium protulisse satis habeo: XXVIII. 58 omnia uescatis manibus

---

1) Muell. ed. p. 254, 19 et p. 262, 47.

leget, omnia sumet, crede mihi. Presse ut dicam, res auferet omnis, ubi ad alteram enuntiationem mente addendum est »scito«.

Haec habui, quae de Lucili saturarum scriptoris genere dicendi in medium proponerem: uel aliquantulum si commentatio mea ad Lucili proprietates accuratius cognoscendas proderit, ualde gaudebo. Si uiri docti, penes quos de his rebus iudicium est, me non omne tempus operamque totam perdidisse existimabunt, alio tempore alias quaestiones, quae ad Lucili reliquias spectant, quippe quae sint philologorum studiis dignissimae, me tractaturum esse spero.

Marburg. Universitäts-Buchdruckerei. (R. Friedrich.)



